AD SANCTISSIMVM D. N. D. PAVLVM V. PONTIFICEM MAX.

Confutationes decretorum, quæ à Venetorum Duce aduerſus immunitatem Eccleſiaſticam temerè atq; impiè edita ſunt.

AVCTORE LVDOVICO PARAMO hæreticæ prauitatis in Regno Siculo Inquiſitore.

PANORMI,

Apud Io. Antonium de Franciſcis, M. DCVI.

SANCTISSIMO D. N. PP. PAVLO V.

CORAM eo, qui Dei Altiſsimi in vniuerſis orbis partibus Diuinum munus ſuſtinet, de ſumma eius obedientia, veroq; obſequio, facunda alius opitulantis lingua, alius ſcriptis mandantis calamo, non autem digitis meis graui morbo confectis opus eſſet. Verùm & ſi ex totius ferè confecti corporis continenti dolore laborare adeo videor, vt vix temporis tantillum vires aliquot priſtinas reſumere valeam, tamen cum à nonnullis Beatitudini tuæ obnoxijs Cardinalibus mihi fuerit de mandatum, vt aliqua aduerſus temerariam Venetorum peruicaciam, ſchiſmaticaſq; aſſertiones memoriæ proderem, eorum voluntati obſequutus pro ingenij mei captu, meiſq; imbecillis pro viribus, illis morem gerere conſtitui. Cùm inſuper paſtoralis cunctorum cura, ouium maximè fidelium, vota paruulorũ, ne dum maiorum videre, notare, ac munire fuit ſemper, nunquã verò deſpicere (quoniam omnes in vinea Chriſti pares degunt cultores) proinde in tam lato campo, vbi fragrantia lilia, floreſq; candidiſsimi conſpiciuntur, floſculos aliquot decerpere minime veritus ſum. Huc accedere à fide aberrantes, hic longe intueri, ſummo digito attingere, aut extremis labijs, atq; fœdo ore delibare, ſiue deguſtare nefas eſt. Sileant igitur, & erubeſcant. Tuum eſt omnis doctrinæ lumen Beatiſsime Pater,

Diuina fauente gratia inſpiratum, quicquid his paucis chartis, iuris, legumq; periti ſcriptum legunt. Et niſi omnes te intuerentur, velut lumen colores, vel antra abdita ſolem, vniuerſa quidem in tenebris ſcripta iacerent. Et cùm ſacratiſsimas prædeceſſorum ſacerdotij, atq; imperij ſanctiones legerim, immunitatem Eccleſiarum ſolidiùs munientes: è contrario verò decreta quædam Venetorum, non modò extra iuſtitiæ limites vagantia, verùm quoq; incredibili inſania, imò proteruitate diabolica edita conſpexerim; & quidem continenter non admirari minime potui, quæ vt negligantur, atq; funditus aboleſcant (quemadmodum ſufficienti ſolo tuo verbo, caſſa, & irrita declarata ſunt) ſtudere minimè deſtiti. Igitur benigno vix humano pectori, ac alacri tuo, diuinoq; animo confutationes iſtæ, per varios offeruntur articulos; quos propior indicat pagina, ad debellatorum offenſam, qui claues Regni tui effringere conati ſunt, quæ vi nulla vinci poſſunt: ad S. R. E. honorem, totiuſq; Chriſtianæ Religionis cultum iſthæc lucubrata ſunt. Sanctitatis igitur tuæ hæc ab exigui mei tenuitate ingenij profecta hilari fronte accepta referre, animoq; libenti ſuſcipere munus extiterit, quod quidem ſi ita futurum eſſe cognouero, ad alia accuratius aggredienda maxima Beatitudinis tuæ auctoritas me excitarit, cuius adamantino munitus clypeo me omnia poſſe confido.

INDEX DIVISIVVS TOTIVS OPERIS IN SEPTEM ARTICVLOS.

ARTICVLVS PRIMVS; de primo venetorum ſtatuto.

CAPVT primum circa prælationes iurium Religioſorum ſuper Laicos.

Caput ſecundum circa acquiſitiones plenæ proprietatis malè eis inhibitam.

ARTICVLVS SECVNDVS; de ſecundo ſtatuto.

Caput vnicum, circa inhibitiones ædificandi Eccleſias, & alia loca pia.

ARTICVLVS TERTIVS; de tertio ſtatuto.

Caput primum circa acquiſitionem oneroſo titulo clericis non iure prohibitam.

Caput ſecundum circa acquiſitionem titulo lucratiuo malè vetitam inter viuos, & in vltima voluntate.

ARTICVLVS QVARTVS.

Caput vnicum, de vſurpata Eccleſiaſtica iuriſditione per coniectionem clericorum in carcerem conſtitutorum in dignitate.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS de ſubdoloſis excuſationibus venetorum in vltimo ædicto.

Caput primum an ſit admitenda excuſatio ob Ducis regimen ſæculare tuendum?

Caput ſecundum, an ſit ſuſtinenda excuſatio intuitu libertatis citra ſuperiorem?

Caput tertium an excuſatio, ob in auditũ oratorẽ eum foueat?

Caput quartum circa prætenſam iniuſtitiam, & nullitatem cenſurarum.

ARTICVLVS SEXTVS de auſu temerario, & maledictis Ducis.

Caput primum de fatua deliberatione in contemptum Summi Pontificis.

Caput ſecundũ in contumelioſa detractione Summi Pontificis.

Caput tertiũ de manifeſta contumacia, ac obſtinatione Ducis.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Caput vnicum de pœnis malè impoſitis in ſtatutis à Duce.

PRAELVDIA.

SVMMARIVM.

1 *Furentibus non eſt dandum reſponſum.*
2 *Fruſtra fit ſermo vbi non præſtatur auditus.*
3 *Nullum malum ſine effugio.*
4 *Ciuilis animus optimus efficitur diſcernendo quæ reſpuenda ſunt.*
5 *A Diuinæ Trinitatis prouidentia totius mundi elementa, & orbis diſpoſitio proceſſerunt.*
6 *Superfluitas ſolet generare confuſionem.*
7 *Superfluum eſt, de poteſtate ſtatuendi diſputare.*
8 *De poteſtate Ducis Venetorum.*
9 *Cum Principe diſputatur, circumſcripta eius auctoritate.*
10 *Princeps tanquam homo falli & peccare poteſt.*
11 *Excommunicari poteſt Princeps à ſuo Epiſcopo.*
12 *Quibus legibus non ſit ſolutus Princeps.*
13 *Officium caſſandi ſtatuta occaſione peccati, pertinet ad Papam.*
14 *Libertatis poteſtas eſt præſcriptibilis.*
15 *Non poteſt Princeps, non eſſe ſubditus Papæ.*
16 *Inconueniens eſt, quem eſſe Ducem ſimul & Papam.*
17 *Non minus prodigium eſt, hominem eſſe ſine capite, quam duplicis capitis.*
18 *Libertas citra naturalem rationem, eſt laxitas beſtiarum.*
19 *Vaſſalli an teneantur obedire iniuſtitiis Regis.*
20 *Vaſſalli non tenentur excommunicato Principi obedire.*
21 *Princeps excommunicatus, ſi hæreticus fuerit declaratus, minor eſt quolibet catholico.*
22 *Ordinis forma, quæ ſeruanda ſit.*

1 ET ſi † in furentes Venetos reſpon-
ſum vllum ſcribendum non eſſet,
quaſi legum laqueis innodari nó
mereantur, argum. l. quæ adulte-
riumC.de adult.iuncta l.fulcinius
§. adeò ff.ex quib. cauſ. in poſſeſſ.
2 eatur: tùm quia † fruſtra fit ſermo
vbi nó præſtatur auditus, vt poſt Diuum Hieron. tra-
dit Afflict.in prooem.conſt. de iur.prothom.cùm etiã
de ipſorum exceſſu,& inſania multi multa bene dixe-
tint. Nihilominus,vt velint,nolint,reſipiſcere cogan-
3 tur, cùm † nullum malum ſine effugio l.1.C.vt ab he-
red.& contra hered. den.& l. de pupillo §. ſi pluribus
ff.de noui oper.nunci. ac, vt vtar verbis Apoſt. ad Ti-
mot. cap.3. nè vltra in inſipientiam proficiant: vtq;
ſileant Venetorum ſequaces beſtiæ latrare: ac erube-
ſcant in Pontificiam authoritatem & voluntaté irrue-
re:vt quæ à Duce Venetorum impudenter,ac temerè
& diabolica obſtinatione ſuaſa, dicta,& facta ſunt ad
Diuinam iniuriam, iure optimo refellantur: & talia
perpetrantes iuris nexibus aſtringantur; ſcribendum
ſanius arbitratus ſum. At diceret quiſpiam, quid hu-
4 iuſmodi indagatio proficiet? maximè quidem † ciui-
lis etenim animus, ſeu intellectus ſcribentiũ optimus
efficitur, ne dum vtilia querendo, verum etiã diſcer-
nendo quæ reſpuenda ſunt l.2. verſ. ſed huius operis
C. de vet. iur. enucl. proinde in tactis ſuo in robore
manentibus hucuſq; aliorum ſtudijs, vnum quodq;
inconfuſum & imperfectum expurgando, & perfe-
ctum ex imperfecto declarando, necnon effuſum &
immenſum reuocando, prouinciam iſtam aſſumere
cenſui; non tamen ſine Diuinæ Trinitatis prouiden-
5 tia, vndè † totius mundi ælementa proceſſerunt, &

eorum

eorum diſpoſitio in orbem terrarum producta eſt: ſolus enim Deus altiſſimus res penitus deſperatas donare ſuaq; virtutis magnitudine conſummare poteſt; juxta verba Juſtiniani Imperatoris ad Tribun. in l. 1. in prin. & in §. quod nemo C. de vet. iu. enucl.

6 Cum autem † ſuperfluitas ſit vnũ de quatuor, quæ ſolent generare cõfuſionem l. ampliorem §. inrefutatorijs C. de appella. & in procem. decretalium §. ſanè, deliberationem ſumpſi ſuperflua omittere, neceſſaria verò minimè tacere; par enim vitium eſt abundare in ſuperfluis, ſicut in neceſſarijs deficere.

7 Superfluum † inquam, viſum eſt, de poteſtate ſtatuentis diſputare l. 2. C. de crim. ſacri. & l. reſtituendæ, in fin. C. de aduoc. diuerſ. iud. & Brun. conſ. 2. col. 2. & conſ. 64. col. 4. & allegata per eum; in quolibet Principe non recognoſcente ſuperiorem, ſicut inter alios

8 † de Duce Venetorum ſcribunt, Cynus in l. fin. C. de petit. hæred. & in l. fin. C. de donat. inter vir. & vxor. & Bald. in l. decernimus C. de ſacro ſanct. Eccl.

9 Verùm † circumſcripta Principis auctoritate, benè diſputatur cum eo l. Emilius, & ibi Bald. ff de minor.

10 † negari tamen minimè poteſt quin potuit falli, & peccare, ſecundum Gemin. in cap. 1. de conſtit. lib. 6.

11 omnis etenim homo mendax: † qui licet Princeps peccando poteſt à quocunq; Epiſcopo, cujus iuriſdictioni ſubditus ſit, excommunicari, ſecundũ Butr. in cap. nouit. de iudi.

Similiter diſputandum non eſt, vtrum iſte Dux ſit

12 ſolutus legibus, ex l. Princeps ff. de legib. † quoniam ſinè dubio non eſt ſolutus à lege diuina, neque à lege naturæ, neque à dictamine rationis, ex Bald. in l. ſi aquam C. de ſeruit. & aqua in repetit. Et per conſequens, ſi peccata commiſerit in ſtatuendo, nõ poteſt

non puniri; nam contra tales ſcriptum eſt Iſayæ 10. Vè vobis, qui conditis leges iniquas: accedat Cardin. in Clem. 1. de vſur.

Meritò vltra excommunicationem, eius decreta quæ ſinè peccato ſeruari non poſſunt, caſſari meruerunt.
13 runt. † Officiumq; caſſandi pertinuit ad Papam cap. penult. & fin. de conſuetud. Ioan. de Imol. in repetit. cap. fin. de reſcrip. etiam ſi eſſet peccatum veniale, ſecundum Andream Sicul. in d. cap. fin. & in cap. 1. verſ. nota abolendum, extra de reſcrip.

Nec etiam indagandum eſt, ſi Dux iſte habeat ab aliquo Romano Imperatore indultā poteſtatis liber-
14 tatem, † quoniam ſufficeret præſcriptam libertatem habere, iuxta Cardin. in cap. per venerabilem in verbo, videbatur in 5. quæſt. qui fil. ſint legit. & cum Bart. in l. infamem ff. de publ. iud. & in l. hoſtes ff. de capt. magis communem dixit Corſet. in tract. de poteſt. reg. nu. 67.

15 Nihilominùs † non poterit nō eſſe Papæ ſubditus, ſi non vult dici Acephalus gloſſ. in Clem. ad noſtram in verbo Eccleſiæ de hæret. cap. nulla rerum diſtinct. 93. & cap. Abbatibus 18. q. 2. immò ſi non vult peior beſtijs cenſeri, cùm & ſub Duce agant, ſecundum Ariſtot. lib. 1. de hiſt. anim. & Plin. lib. 10. cap. 23. ſimiliter & apes, vt de vtriſq; Diuus Hier. ad Ruſticum Monachum ſcribit, tranſumptiue in cap. in apibus 7. q. 1.
16 alioquin ſequerentur duo inconuenientia, nempè † ꝙ ipſe Dux eſſet Dux, ſimul & Papa, cōtra gloſſ. in c.
17 quoniam idem diſtin. 10. † & ſic in vno corpore duo capita, quo caſu nō minus prodigium eſt, videre hominem ſine capite, quàm plura in vno homine capita videre, ex traditis per Petrum de Grego. de repub. lib. 6. cap. 2.

Et

18 Et rurſus † libertas eius non eſſet humana libertas, ſecundum naturalem rationem,ſed potius laxitas beſtiarum l.naturalem, & l.Pomponius ff. de acqui.rer. dom.poſtquàm bruta ſunt,quæ non peccant.

Minus etiam quærendum,ſi vaſſalli teneantur Du-
19 ci obedire talia ſtatuenti; quoniam,† & ſi obedire teneantur etiã intollerabilibus iniuſtitijs Regis, ſecundum Bald.in 1.rubr.ff.vet.cùm à vaſſallis adorari debeat l.1.C. de ſilent.lib.11.

Nihilominus poſſunt ob huiuſmodi iniuſta ſtatuta adire Papam, ſecundum Bald. in extrauag. de pace conſtant. in verb. pactiones: & propter hoc priuari poterit à Papa, ſecundum Alber. in l. benè à Zenone
20 C.de quadr.præſcript. † Quicquid tamen ſit, non tenentur ei excõmunicato obedire, vt per Ioan. Andr. in cap.fin.de pœnis:& per conſequens ſequuta excõmunicatione non habet locum dictum gloſſæ,in cap. agite pænitentiam de pænitent.diſtint.1. quæ dixit ꝙ Regum, & magnorum Principum delicta Deum habent vltorem; quaſi non habeant quẽ timeant; quoniam excõmunicatione ſequuta eò magis timebunt
21 diuinam vltionem,† & quod peius eſt,poterit in proceſſu temporis declarari hæreticus, Auth.Gazaros in fin.C.de hæret.qui ſic declaratus erit minor quolibet Catholico cap. Achatius 24.q.1.vbi gloſſ.

At nè vlterior in primordijs protrahatur cunctatio
22 ad rem ipſam me confero † vbi tractandi ordinẽ non prætermittam; ſed prima quidem in primo loco, poſteriora verò in ſecundo ponẽda ſunt, vt in 1.conſtit. C.§.quibus, & l.2.§. prius ff. de vulg. & pupil.ſubſtit. l.idem labeo ff.rerum amor.& cap.nullus,vbi gloſ.de Reg.iur.lib.6.

ARTICVLVS PRIMVS DE PRIMO VENETORVM STATVTO.

Caput primum circa prælationes iurium Religioſorum ſupra Laicos.

SVMMARIVM.

1 *Verba ſtatuti inſpicienda ſunt antequã puncta iuris aſſumantur.*
2 *Exemplum primi ſtatuti.*
3 *Eripere prælationem Eccleſiaſticis eſt honorem eis auferre.*
4 *Priuare aliquem actione ſua eſt illum punire.*
5 *Omnis actus per quem pœna reſultat, offenſio eſt.*
6 *Honor Deo debitus quanti ſit.*
7 *Honor mortalibus debitus non poteſt à qubuis Principe ſine iuſta cauſa tolli aut minui.*
8 *Eccleſia ſicut fiſcus præfertur priuato anteriori.*
9 *Lex diſponens de rebus ſacris aut religioſis, præfertur legi loquenti de profanis.*
10 *Eccleſia emendo præfertur ſecundo emptori, licet ſecundo fuerit poſſeſſio tradita.*
11 *Eccleſia in ſolo alieno ædificata non cedit ſolo.*
12 *Eccleſia Rom. etiam poſt centum annos poteſt vti prælatione ſua.*
13 *Clericus dignitate potentior & maior eſt quocunq; laico.*
14 *Clericus præfertur militi, & fiſco.*
15 *Eccleſia cathedralis præfertur in cenſibus alijs creditoribus.*
16 *Eccleſia præfertur facta ſubſtitutione, ſi deceſſerit clericus ſinè filijs.*
17 *Statuentes contra clericos ſunt excommunicati ipſo iure.*
18 *Soli clerici Eccleſiaſtica bona poſſidere digni ſunt.*
19 *Qui præfret indignum digno peccare dicitur.*

HIS iactis fundamẽtis, diſcutienda ſunt ſingula capita primi ſtatuti. Duo quidem hoc in primo ſtatuto expreſsè vetantur, inuiolationem honoris Eccleſiæ; potioritates nempè, quibus Eccleſiaſticæ perſonæ digniores laicis iudicantur; rurſus plenæ proprietatis acquiſitio. Idcirco †
1 priuſquã puncta iuris aſſumãtur, operæ pretiũ duxi verba iſtius primi ſtatuti in vtroq; capite præponere, ad inſtar iuriſcõſulti in l. 1. in prin. ff. quæ in frau. cred.

2 Et quidem exemplum, ſiuè † tenor ita ſe habet: vt Monachi Monaſterij de Praglia Ord. Sancti Benedicti, Congregationis Caſſinenſis, deinceps vllo vnquã tempore, actionem, per quam ſub quouis titulo, aut colore in bonis Eccleſiaſticis emphiteoticis à laicis poſſeſſis præferrentur, prætendere; ac etiam iure prælationis, ſeu conſolidationis directi cum vtili dominio, aut extinctionis lineæ in primis inueſtituris comprehenſæ, aut alia quauis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vendicare minimè poſſint, ſed tantũmodo ius directi dominij illis præſeruatũ eſſet. Verùm etiam vt id ipſum quo ad cæteras omnes perſonas Eccleſiaſticas ſæculares, & regulares, Monaſteria Monialiũ, Hoſpitalia, & alia loca pia in ſuo temporali dominio exiſtentia declaratum, & firmiter deliberatum cenſeretur die 23. Maij 1602.

Primo capite iuxta ſui ſeriem perpenſo, non potuit decretum hoc citra labem mortalis criminis decerni, contra primum decalogi præceptum ſuperni honoris immortali Deo, eiuſq; miniſtris omni tẽpore debiti.
3 Nam quid † aliud eſt Eccleſiaſticis perſonis eripere prælationem in bonis Eccleſiaſticis, niſi honorem

eis auferre l. fin. ff. de fid. inſtrum.& l. aſſiduis C. qui pot. in pig. hab. iuncto textu in Auth. de priuil. dot. heret.mul.nō præſt.in prin. probaturq; tali argumen-
4 tatione,priuare † aliquem actione ſua,eſt illum puni-
5 re l.teſtamento centurio ff. de manu.teſta. & † omnis actus,per quem pœna reſultat offenſio eſt,Bart.conſ. 188. incipit ſtatuto in principio.

6 Deq; hoc honore † Deo debito, loquitur Paul. ad Rom. cap. 13. cui nō reddentes aſſimilantur vendentibus,& ementibus in templo, quos Chriſtus eiecit vt 1.q.3.cap.vendentes, & hoc propter magnā gloriam ſuam, vt in Pſal. 113. Non nobis Domine, non nobis.

7 Præterea quòd etiam † honor debitus alicui mortalium, non poteſt à quouis Principe, ſine iuſta cauſa tolli, aut minui ſecundū Iſer. in cap. 1.nu. 14. de cap. Corrad.nec diſcrepat philoſ.in ſua œconom.dū multò grauius(inquit) fert aliquis ſi honore ſuo priuetur, quàm ſi omnia bona ſua ei auferantur.

Et ad oſtendendum prælationes ablatas,& vſurpatas, operæ pretium eſt in quibus cauſis Eccleſiaſticæ perſonæ laicis præferantur oſtendere.

8 Nonnè † Eccleſia, ſicut & fiſcus præfertur in bonis poſtea quæſitis priuato creditori etiam anteriori? l.ſi is qui ff.de iur.fiſ.iunct.l.fin.vt inter diuinum C.de ſacr.ſanct. Eccl. quod apertè tenet Euerard. in ſua topic. à fiſco ad Eccleſiam verſ. 17. motus de l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun.

9 Nonnè † lex diſponens de rebus ſacris,aut religioſis pręfertur ſemper legi loquenti de prophanis,ſi huiuſmodi leges inter ſe repugnēt?vt latè Steph.Fede.in tract.de interpret.iur.in 2.par. propter publicā vtilitatem, quæ in his verſatur rebus, vt l. 1. §.huius ſtudij ff. de iuſt.& iur.& de Epiſc. & cleric.l.ſi quis hoc genus.

An

10 An nō † Eccleſia emendo rem aliquam præfertur ſecundo emptori, licet poſſeſſio fuerit ſecundo tradita? gloſ.& Bart.in l.ſin.C.de ſacroſan.Eccl.& poſt Io. Andr, & alios in cap. continebatur extra de his quæ fiunt à Prælatis trad. pro limitatione ad reg.l.quoties C.de rei vendi.Iaſ.ibi nu.4.& Angel.in ſumma in verbo emptor nu.14.

11 Hinc † Eccleſia in ſolo alieno ædificata non cedit ſolo ſecundum gloſ. in cap.Apoſtolicis 12. q.2. ſecus apud laicos.

12 Hinc † Eccleſia Rom. etiam poſt centū annos poteſt vti prælatione contra inferiorem gloſ. & DD. in cap. cum nobis extra de præſcrip.

Hinc Specu.tit.de ceſſi.act.§.1.verſ.ex proximè di-
13 ctis inquit † clericū dici potentiorē laico dignitate, imò ſecundū Feli. in cap. Eccleſiæ S. Mariæ col.2.de conſti. maior eſt clericus quocunq; laico.

14 Hinc † præfertur clericus militi l.nemo,& ibi Bar. & Bal C.de ſumma trin.& fi.catho.præfertur, & fiſco Bal.in l.ſi quis præsbiter. de Epiſ.& cle.& in l.1.C.de hæredi. decuri.

Hinc ſecundum Io.And.in cap.cam te de ætate,&
15 quali. † Eccleſia cathedralis creditrix cenſuum alicuius ſacerdotis præfertur omnibus alijs creditoribus eiuſdem.

16 Nunquid † ſubſtitutione facta filio clerico ſub cōditione ſi deceſſerit ſinè filijs, Eccleſia non præfertur? certè præferri debet Eccleſia ſecundum Bar. in l. hæredibus §. titio ff. ad Trebell.

Ex quibus patet ſæpiſſimè receſſum à regulis iuris comm. vbicunq; de præferentia perſonarum, aut rerum Eccleſiaſticarum agitur.

Et quicquid ſit, propter huiuſmodi ſtatutum, ſiuè

decretum

decretum prohibitiuum,& violatiuũ præferentiarum Eccleſiæ,atq; Eccleſiaſticarum perſonarum fuit condigna excõmunicationis ſententia ſequuta,nõ ſolum propter labem detractionis honoris,& dignitatis Eccleſiæ, verùm etiam quia Dux intendit de alieno largiri, quæ res furtum eſſet natura turpe l. ſi pignori §. 1.ff.de fur. Accedat tex.in cap.eos de immu.Eccl.lib. 6. & in cap. grauem, & cap. nouerit. extra de ſenten.
17 excom. † vbi ſtatuentes contra clericos ſunt excommunicati ipſo iure: eoq; magis,cùm decretum ſit tale per quod prælatio, quæ auſertur clericis, largitur laicis, debuitq, non ignorare tex. in cap. ex literis extra
18 de tranſact. cuius vigore ſoli † clerici Eccleſiaſtica bona obtinere digni ſunt. neceſſariũ ergo dicendum
19 ſequitur † præferentem indignum digno peccare, ſecundum Bar. in l. 1.nu.68.C.de digni.lib.12.

Caput ſecundum circa acquiſitionem plenæ proprietatis malè, clericis inhibitam.

SVMMARIVM.

1 *Vſusfructus de re Eccleſiaſtica conſolidatur cum proprietate.*
2 *Conſolidatio vſusfructus cum pripríetate non poteſt ſine refragatione ciuilis, & naturalis rationis tolli.*
3 *Tollere conſolidationem prædictam furti ſpecies eſt.*
4 *Directum dominium nemini poteſt auferri etiam à Principe.*
5 *De emphiteuſi Eccleſiaſtica vbi nam tractetur.*
6 *Statuta in emphiteuſim Eccleſiaſticam non valent.*
7 *Eccleſia quærit plenam proprietatem ob canonem non ſolutum, biennio elapſo.*
8 *Celerius cum Eccleſia purgatur mora, quam cum priuato.*
9 *Ratio quærendi proprietatem pendet à naturali æquitate.*
10 *Canon ſoluitur in recognitionem dominij, quod eſt iuriſgentium.*
11 *Plenam acquirens proprietatem, ratione caducitatis tutus eſt in foro conſcientiæ.*

12 *Timor periurii fuit etiam inter gentiles.*
13 *Refellitur dictum Abbatis.*
14 *De rebus Eccleſiæ non poſſunt laici ſtatuere decreta.*
15 *Plena proprietas acquiritur directò, ob denegatam proprietatem.*
16 *De alienatione feudi Eccleſiaſtici irrequiſito Domino.*
17 *Diſponere de re aliena inuito domino, eſt contra naturalẽ rationẽ.*
18 *Contra naturam eſt cogere dominium recognoſcere alios.*
19 *Emphiteuta incidit in commiſſum, etiam ſi alienaret in vtilitatem Eccleſiæ.*
20 *Plena proprietas quæritur Eccl. propter notabilẽ deteriorationẽ.*
21 *Metu caducitatis bene verſatur emphiteuta.*
22 *Plena proprietas acquiritur non ſeruatis pactis.*
23 *Nulla maior ingratitudo, quàm pacta non adimplere.*
24 *De emphiteuſi Eccleſiaſtica vſq; ad certam generationem.*
25 *Statutum, vt finita generatione non conſolidetur vtile cum directo improbatur.*
26 *Obſeruantia pactorum habenda eſt cum perſonis limitatis.*
27 *Nullum ſtatutum valet de rebus Eccleſiæ.*
28 *Facere iniuſtum in genere ſuo, eſt peccatum.*
29 *Contrauenient præcepto iuris ciuilis mortaliter peccat.*

EXPLICITO primo capite, primi ſtatuti, quod erat circa prælationes & potioritates, gradum facimus ad ſecundum eiuſdem ſtatuti, vbi prohibetur acquiſitio plenæ proprietatis, tàm iure cõſolidationis, quàm ex tinctionis lineæ, quàm etiam qualibet alia ex cauſa: quod quidem decretum non poſſe ſtatui ſinè peccato, ex ſequentibus contingentijs demonſtrabitur.

Poteſt enim huius decreti cõtingentia euenire in re Eccleſiaſtica, cõceſſa alicui in vſumfructũ: quo ca
1 ſu † ſolet vſusfructus cõſolidari cũ proprietate §. finl
tur inſt. de vſufr. de quo vſufructu rei Eccleſiaſticæ loquitur tex. in l. iubemus §. ſanè C. de ſac. ſanc. Ecc.

Quo facto tollere titulum conſolidationis prædictæ fieri nō poteſt, ſine refragatione & ciuilis, & naturalis rationis, imò etiam diuinæ. Ciuilis ratio ſimul cum naturali patet, in l. cum antiquitas C. eod. vbi
2 † vſufructuarius non poteſt antecellere proprietarium, nec dominium vſufructuarius ſperare poteſt, citrà voluntatem concedentis: & tamen totum hoc in decreto permiſſum, iniqua res putāda eſt, nempè vt vſusfructus fiat perpetuus cum iactura proprietarij, quod natura non patitur, ex eod. §. finitur, vbi aſſignatur ratio nè proprietas nuda fieret inutilis, ſemper abſcedente vſufructu: quæ ratio tanti refert, quantum dicere ne vſufructuarius ſibi proprietatem vſurpet contra voluntatem veri domini;
3 † quæ res furtum eſſet natura turpe l. probra ff. de verb. ſig. & §. 1. inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc. & eſſet contra ſextum decalogi præceptum, & ſic contra legem Diuinam.

4 Præterea quòd † nemini poteſt dominiū auferri maximè directum, Bart. in l. quicunq; la prima nu. 3. C. de fund. patrim. lib. 11. & facit tex. l. ſi quis vi §. differentia ff. de acq. poſſ. iuncta l. id quod noſtrum ff. de reg. iur. etiam à Principe, niſi vel ſoluto pretio, vel ex cauſa ſceleris l. ſerui. C. ex quib. cauſ. ſer. pro præm. & tot. tit. de bon. dam. & Cagnol. in præcit. reg. nu. 17. & 18.

Poteſt etiam contingere, vt Eccleſiaſtica res
5 concedatur ad emphiteuſim, † de qua emphiteuſi Eccleſiaſtica habetur in Auth. ſi quas ruinas C. de ſac. ſanct. Eccl. & DD. ſcribunt per totum tit. de reb. Ecc. nō alien. lib. 6. & maximè in cap. nulli, & in Cle-
6 ment. 1. eod. tit. † & in præiudicium emphiteuſis Eccleſiaſticæ, ſtatuta nō volent, ſecundū Abb. conſ. 72.

negotio

negotio Guidonis vol. 1. & Siluan. conſ. 9. nu. 23. & ſeq.

7 Quo ſtante præiudicium patet, quia † ſi per biennium deſinat emphiteuta ſoluere canonem, incidit in commiſſum, & Eccleſia quærit plenam proprietatem l. 2. C. de iur. emph. & in cap. potuit extra de locato, non autem antea, licet adſit iuramentum de ſoluendo, vt per Couar. 1. par. relect. 4. §. nu. 5. quicquid dixerit Bald. in cap. querelam de iur. iurando, dummodo nõ defecerit proprietarius admittendo oblatam penſionem, ſecundum Imol. in cap. ad audientiam de reb. Ecc. non alien. & Pan. in cap. con-

8 ſtitutus de relig. domi. † Mitius tamen agitur in re Eccleſiaſtica in purgatione moræ, vt d. cap. potuit, & per Silueſt. in ſua ſum. in verbo emphiteuſis q. 5.

9 Et quia † ratio quærendi proprietatem iſtam dependet ab æquitate naturali, vbicunq; tale pactum reperiretur initum l. 1. ff. de pac. & l. 1. in princ. ff. de conſti. pecu. & cap. 1. extra de donat.

Item quia pendet à ratione iuriſgentiũ, quo iure diſtincta fuerunt dominia l. ex hoc iure ff. de iuſti. &

10 iur, † & canon ſoluitur in recognitionẽ directi dominij, ſecundum Bart. in l. 1. nu. 4. C. de iur. emphit. meritò rationabiliter à legislatoribus prouiſum eſt, vt qui tantum tempus ceſſauerit ſoluere canonem, perdat ius ſuum in pœnam contemptus, & concedens acquirat ſibi plenam proprietatem,

11 Et quicquid ſit, dato quòd aliqua lege † talis acquiſitio proprietatis nõ muniretur, tamen tuta conſcientia poſſe pleno iure retineri lapſo tempore prædicto, theologica ſententia eſt, de qua teſtatur Michael Salon. in diſputatione de cenſibus art. 2. Quibus ſic ſtantibus, tollere Eccleſiæ facultatẽ auocan-

di, & reuocandi fieri nõ poteſt ſine refragatione ci-
uilis, & naturalis rationis, imò & Diuinæ, vbicunq;
huiuſmodi pacta reperiantur iuramento firmata,
nempe in violationem ſacramenti, ex ſecundo de-
12 calogi præcepto, præterea quòd † etiam apud gen-
tiles fuit periurij timor l. qui per ſalutem ff. de iur.
iur. & l. quæ ſub conditione §. cum enim faciles ff. de
cond. inſt.

13 Hinc dictũ Abb. in præcitato † conſ. 72. dum di-
cit validum ſtatutum diſponens, non poſſe expelli
emphiteutam Eccleſiæ ceſſantem in ſolutione, re-
fellitur cum ſuis ſequacibus per Surd. conſ. 338. nu.
24. lib. 3. propter præiudicium, quod fieret directò
14 dominio Eccleſiæ, † deq; rebus Eccleſiæ nõ poſſunt
laici ſtatuere decreta, ex tex. aperto in cap. benè qui
dem 96. diſt. & cap. Eccleſia S. Mariæ, & per Abb. in
cap. quæ in Eccleſiarum: notab. 63. nu. 2. de conſt.

Poteſt rurſus contingere huiuſmodi plenæ pro-
prietatis acquiſitio per denegatã proprietatem, ne
15 dum canone non ſoluto, † verùm etiã, quando irre-
quiſito proprietario alienat emphiteuta rem emphi
teoticam l. fin. C. de iur. emph. vbi Iaſon nu. 103. &
ſeq. vel etiam quãdo alteri ſub emphiteoticaret irre-
quiſito concedente Iaſ. d. l. fin. nu. 100.

Quo ſtante, per huiuſmodi decretum permitte-
retur impunis alienatio rei emphiteoticæ, in præiu-
dicium veri domini, quod non poteſt ſinè contradi-
16 ctione rationis naturalis permitti, † vt de aliena-
natione feudi Eccleſiaſtici irrequiſito domino, tra-
dit Surdus conſ. 338. ante nu. 24. vol. 3.

17 Siquidem † naturalis dictat ratio de non diſpo-
nendo ſuper re aliena, inuito domino l. in cauſæ ff.
de procu. iuncta l. in re mandata C. mand. l. nemo

exterus C. de iudic.& de petit.hæred.l. ſed ſi lege §. conſuluit, & l.2.ff.ſi quis à pare.ſue.manu.

18 Rurſus † natura repugnat, ſi cogeretur dominus alium inuitus recognoſcere l.1. ff. de alien. iud. muta.cau.fac.& facit inſt.de adop.§.licet autem.

19 Quæ quidem ratio, vſq; adeò vrget, vt † emphiteuta incidat in cõmiſſum, etiam ſi alienatio tenderet in euidentem vtilitatem domini, ſecundum allegata per Riminal. Iun.conſ.22.nu.4.& 5.vol.1.

20 Poteſt ſimiliter cõtingere huiuſmodi † plenæ proprietatis acquiſitio, propter notabilem deteriorationem; & ſine dubio in re emphiteuſi Eccleſiaſtica deteriorata, vt in Auth.qui rem C.de ſac.ſanct.Ecc. De priuata autem remitto me ad Peruſinam deciſ. 22.par.1. & deciſ.94.par.2.

Quo ſtante per huiuſmodi decretum permitteretur impunis deterioratio rei alienæ, contra l. 3. §. ſi reddita ff. commo.cuius legis ratio pendet etiam ex præceptis naturæ: ſiquidem contra naturam eſt, vt alteri per alterum inferatur iniqua rei propriæ conditio vulg. iur.

Præterea ꝙ vrget naturalis ratio in aliud, nempe
21 † vt metu caducitatis, & priuationis benè verſentur in rebus ſibi in emphiteuſim conceſſis, arg. §. ſed ſi gregis inſt.de rer.diuiſ.vbi bonus tex.in l.diuortio §. ſi fundum viro, & l. etiã §.licet, vbi Bal.ff.ſolut.mat.

22 Poteſt quoq; contingere talis acquiſitio † plenæ proprietatis, vbicunq; emphiteuta non obſeruaret pacta, vt per Bal.in l.1.in fin.C.comm.deleg.& congeſta per Iaſ.in l.1.in 4.notab.nu.10. & 11. & in l.2. nu.10.C. de iur. emphit.

23 Et quia † nulla maior ingratitudo, quàm pacta non adimplere notata in cap.1. extra de donat. &

facit

ſacit l.fin.C.ad Vell.ob id decretum hoc permittens ingratitudinis crimen committi, quo nullum peius delictum, ſequitur nullius eſſe momenti tanquàm nutritiuum peccati.

Poteſt ſimiliter contingere per extinctionem li-
24 neæ, † ſiquidem ſolet Eccleſia emphiteuſim concedere vſq; ad certam generationem, de qua conceſ-
ſione loqnitur Clarus in §. emphiteuſis quæſt. 34. cũ
25 trib. ſeq. quo caſu † ſtatutum, vt finita generatione non conſolidetur vtile cum directo, optimè improbatur à Purpu.conſ. 332. nu. 9. quem ſequitur Surd. in præcit.conſ. 338.

Hanc impugnationem fouet ciuilis, & naturalis ratio: ciuilis patet, quia limitata diſpoſitio limitatũ producit effectũ vulg.l. in agris ff. de acq.ver. dom.
26 Naturalis quoq; non deſideratur, quoniam † obſeruantia pactorum, quæ pendet ab æquitate naturali, ex iuribus ſuperiùs adductis, eſt habenda cum perſonis limitatis l.iuriſgentium §.pactorum, vbi gloſ.in verbo vt perſonale, & l.idem §.perſonale ff.de pact.

Et nihilominus decretum hoc permittit impunè rem concedentis tranſire in generationem, non ſolùm non permiſſam, ſed vetitam à concedente, quæ res non poteſt ſine violatione vltimi decalogi præcepti perpetrari: per conſequens nullius debet eſſe momenti, ſed prorſus aboleri debet.

27 Demum in omni contingentia † nõ poteſt decretum valere, etiam ſuper vtili dominio factum, quod ab Eccleſia recognoſcitur quia nullum ſtatutũ valet de rebus Eccleſiæ cap. benè quidem, ante allegato: ſunt enim bona clericorũ patrimoniũ Chriſti c.cũ ex eo de elect.in 6.& per Bero.in c. quæ in Eccleſiarum nu.6.& 16. de conſt.vbi loquitur de vtili.

Et

Ex quibus omnibus probatum eſt, huiuſmodi primum ſtatutũ in vtroq; capite iniuſtum eſſe, vti contra præcepta diuinæ legis, per conſequens ſtatuens condignè fuit excommunicatus, non leui de cauſa,
28 ratione peccati mortalis, cum valde certum ſit, † facere iniuſtum, in genere ſuo eſſe peccatum mortale, vt optimè probat Arag. poſt Diuum Thom. ſecunda ſecũdæ quæſt. 59. art. 4. licet ab ignorantibus hoc iniuſtum admiſſum ſit, vt in cap. ignorantia de
29 reg. iur. in 6. imò etiam † cõtraueniens præcepto iuris ciuilis mortaliter peccat, Bart. in l. ſi quis pro eo nu. 9. ff. de fideiuſſ. Abb. & Felin. in cap. nam concupiſcentiam de conſt.

ARTICVLVS SECVNDVS
DE SECVNDO STATVTO.

Caput vnicum, circa inhibitiones ædificandi Eccleſias, & alia loca pia.

SVMMARIVM.

1 *Aedificandi Eccleſias ius non ſpectat ad magiſtratus ſeculares.*
2 *Sanctitas in Principe exigitur maxima.*
3 *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.*
4 *In vera Monarchia tria potiſſimùm requiruntur.*
5 *Princeps duo ſibi debet comparare, bonam conſcientiam quo ad Deum, & bonam famam quo ad homines.*
6 *Tutor bonus non eſt, qui ex cuſtode fit Lupus.*
7 *Principes ſeculares tenentur inſtar Tutorum, Eccleſias defendere.*
8 *Eccleſia pupilla eſt, ſicut & Ciuitas.*
9 *Eccleſia cur terribilis dicatur locus?*
10 *Boni Principes ad pia ædificia hortari debent.*
11 *Libertas ædificandi quo iure, & quanta ſit.*
12 *Aedificare non licet ad inuidiam vicinorum.*
13 *Præſumitur in dubio quis ædificare ad ſuam vtilitatem, nõ autem ad inuidiam alterius.*
14 *Aedificandi libertas ad publicam vtilitatem referenda eſt.*
15 *Diſtantia inter ædes ſacras, vel publicas, & priuata ædificia quanta eſſe debeat.*
16 *Nec vſus, nec conſtructio ſacrarum, aut publicarum ædium impediri poteſt.*
17 *Chriſtianis non licet diruere Synagogas.*
18 *Pœna ædificantis nouas Synagogas quæ ſit.*
19 *Geſta Imperatorum, & Regum in conſtruendis, atque reparandis ſacroſanctis templis.*
20 *Chriſtus templum, vti propriam ſibi elegit domum, ſuiſq; ornauit exemplis.*
21 *Quæ in Eccleſiis peragenda ſint.*

In

22 *In Eccleſiam intrare, ac orare eſt vtilitatis publicè in vniuerſo, & in quolibet particulari.*
23 *Licentia ædificandi Eccleſias ſpectat ad Epiſcopos, auctoritate plurimorum conciliorum.*
24 *Cathedralis Eccleſia ſine licentia Papæ erigi non poteſt.*
25 *In ædificãdis oratorijs, an ſit neceſſaria Epiſc. licẽtia, diſtinguitur?*
26 *Veneti quomodo dicuntur eſſe domini maris.*

POST primum, ſecũndũ aggredi ſtatutum nunc opportunũ mihi viſum eſt, illudq́; magis, ac magis caſſandum, & irritandum, & condignius ſtatuẽtem fuiſſe excommunicationis ſententiã paſſum, ex ſequentibus demonſtrabo; hoc ſolo, dum Eccleſiarum vetuit ædificia ſinè
1 ſua licentia, debuit non ignorare hoc † non eſſe de licentia ſecularium cap. nemo, & cap. Baſilicas de conſecrat. diſt. 1. Sed vt apertius cognoſcantur errores, & dolus ſtatuentium, huius quoq; ſecundi ſtatuti, ſicut & aliorum, ſeriem præponam: Die 10. Ianuarij 1603. his verbis editi.

Nequiſquam ſiuè ſecularis, ſiuè Eccleſiaſticus in Vrbe Venetiarum Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, atque alias religioſas domos, & pia loca ſinè eorum ſpeciali licentia fundaret, & erigeret in concilio rogatorum congregato, iterum decretum eſt. Idq́, vt in omnibus iuriſdictionis locis vim obtineret, ſub pœna exilij, ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditioniſq́; ædificij.

Certè ex tribus hiſce decretis hoc idipſum eſt exemplo pernicioſius, vti diuino cultui contrarium. arg. l. ſi quis aliquid §. qui abortionis ff. de pæn. & l. diuus ff. de re iud.

Nam quanto Dux iſte abſolutum ſe Principem
2 facit, † tanto maior in eo ſanctitas requirenda eſt
3 maxima l. quæris ff. de nat.reſtit. & † cui plus committitur, plus ab eo exigitur, vt Lucæ 7. habetur, & C.de Epiſc.& cler.l.præsbyteri.

4 Proinde † tria exigenda probat in vera Monarchia, Oldrad.conſ.63.vt ſunt diuinus cultus, ſapientia, & potentia. Præterea quòd duo principalia ſibi
5 remouit in editione præſentis ſtatuti, nempè † bonam conſcientiam quo ad Deum, & bonam famam quò ad homines 22.q.2.cap.nolo.

6 Bonam dico neglexit conſcientiam, poſtquàm † de cuſtode lupus, deq; ſocio hoſtis effectus eſt, l. tutor ff.de furt.qui tex.loquitur de tutore, & curatore.

7 Nonnè † Principes ſeculares tenentur inſtar tutorum ad defenſionem Eccleſiarum? iuxta gloſ. in cap.1. de ſupp. neglig. prælat. lib.6. Ergo ſi ſic eſt,
8 qua conſcientia repugnat Eccleſijs? cum † Eccleſia ſit pupilla, ſicut & Ciuitas l. rem publicam C.de iure reip.lib.11.iuncta.l.fin.C.de ſac.ſan.Eccl.

Bonam quoq; famam prorſus neglexiſſe videtur apud viros probitate plenos, maximè inter Catho-
9 licos, † ſiquidem ab Eccleſijs non niſi Dæmones aufugiunt, ſecundum Gregor. in dialog.lib.3. rectè putantē, quòd ideo canat Eccleſia in introitu Miſſæ pro die dedicationis. Terribilis eſt locus iſte, ſcilicet, ſecundum eum, malignis ſpiritibus, ſi voluiſſet bo-
10 nam famam conſeruare, † debebat huiuſmodi ædificia, vt fierent, exhortari, non prohibere. cap. boni Principes 96. diſt.

Sed ad maiorem veri dilucidationem non poteſt inquam ſtatutū hoc ſine criminis labe ſuſtineri, cùm omnium legum præceptis refragetur.

In

In primis obſtat ei libertatis præceptum illud iu-
11 riſgentium, per quod † cuilibet liberum eſt ædifitia conſtruere l.ex hoc iure ff. de iuſt.& iur. ibi ædifitia collata, & §.littorum inſtit.de rer.diuiſ.etiam in mari, vt l.quamuis ff. de acquir.rer. dom. & etiam vſq; ad cælum, vulg.l.altius C. de ſeruit.

Eandem libertatem in ædificijs conſtruendis ius
12 ciuile comprobauit, † dummodo non ædificentur ad æmulationem, & inuidiam vicinorum ſecūdum allegata per Iaſonē in d. l. ex hoc iure nu.7. & Paul. de Caſtro in ead.l. altius.

13 Quod ita † in dubio præſumendum eſt ædificantem efficere principaliter ad ſuam commoditatem, & vtilitatem, non autem ad iniuriam alterius not.in l.fluminum §.fin. ff. de damn. infec.& per Bald.in l. item lapilli in 2.col.ff.de diuiſ.rer.ſequitur Iaſ. in d. l. ex hoc iure nu. 11.

Iſtæc quoq; cōceſſa ſunt in ædificijs ad priuatam
14 vtilitatem conſtruendis, ſed † & fortius ad publicam vtilitatē, vt l.fin. ff. de damn. infect.& de legat. 1.l.cætera §. primo, & §.ſed & ſi quis.

15 Rurſus iure ciuili comprobatum eſt in † l. ſi cui, C. de ædif. priuat. cum modificatione vt inter ædes ſacras vel publicas, & priuata ædifitia quindecim pedum ſpatium conſiſtat, quæ modificatio ne dum publicam, vel ſolum priuatam reſpicit vtilitatē, ſed vtrinq; communem; videlicet ad vitanda pericula, quæ poſſent pati publica ædificia per vicinitatē priuatorum, necnō ad vitandum damnum futuræ deſtructionis priuatorum ædium.

16 Cæterùm † ſicut vſus ſacrarū, publicarūq; ædium non eſt impediendus iux.tex.l.1.§. ſi quid in mari ff. de flum. pari modo illarū conſtructio nō debet im-

pediri, quoniam ſi impediretur conſtructio impediretur & vſus, cum vſualis qualitas ſinè ſubiecto eſſe non poſsit l. egi tecum ff. de excep. rei iud. & l. 2. ff. de vſufru. & quemadmod. quis vtat.

17 Inſuper, ſi † non licitum eſt Chriſtianis irruere ſynagogam iudeorum, multò magis non licebit irruere Eccleſias Chriſtianorum. l. in ſynagogam C. de iud. & cœl.

Rurſus quid tandem elaborandum, ſi Dux hoc decreto tractauerit Eccleſiarum orthodoxarum fabricas pari paſſu cum ſynagogis? nō ne dum pœnas confiſcationis bonorum ædificantis, totiuſq; operis

18 perditionē impoſuit; hoc ita † ſancitum eſt contra ædificantes nouas ſynagogas? vt l. fin. C. eod. à quo tex. deſumptum fuit cap. 3. ex eod. tit. de iud.

Sinè dubio rem contra ſolitum aliorū Principum morem, Dux iſte cōſtituit, itaquod decretum ſuum contra bonos mores publicatum nō poteſt ſinè pec-

19 cato ſuſtineri: † Certè non decreuiſſet ſi Dauidem patrem Solomonis, aut ſi Conſtantinum Magnum, aut ſi temporibus gratiæ Alfonſum, Ferdinandum, aut Philippum Secundum Aragoniæ, & Siciliæ Reges fuiſſet imitatus.

Ecce Dauid Rex cum nō poſſet in vita templum conſtruere, cum omnia cementa parata eſſent, Solomoni filio mandauit extruendum, auriq; reliquit centum millia, & argenti decies centena millia talentorum, æris, & ferri immenſam vim, præter ligna, & ſaxa: quod inde à filio adimpletum extitit ſpatio ſeptem annorum. vt legitur Paralipomenon cap. 22. & 29. & 3. regum cap. 5.

Conſtantinus quoq; maguus ad reſtaurationem lapſorum templorum amplificationemq;, ex imperialibus

rialibus theſauris, & tributarijs pecunijs, ſumptum ſuppeditari mandabat, ſecundum Euſeb. lib. 1. & 4. de vita Conſtan.

Alfonſus præfatus Rex capta Maſſilia, ſentiés Matronas cum filijs, ſuiſq; totis pretioſis rebus confugiſſe in templum beati Auguſtini, tanquam aſylum, eaſq; præces contuliſſe, vt retentis theſauris, & ornamentis omnibus, perſonas remitteret intactas, vtiq; tantus Rex in honorem diuini templi eas cum pretioſis omnibus rebus, illeſas abire iuſſit, quemadmodum poſt Pan. de reb. geſt. Alſon. & aliorum cronicas traditum eſt.

Ad ea inſuper, quæ ſuperius dicta ſunt, illud & religionis, & pietatis ſpecimen Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis, maximum accedere poteſt. Ei enim aduerſus mauros, bellum gerenti; atq; ex vniuerſa Hiſpania penitus eijcere conāti, à ſuis perſuaſum eſt, quò facilior fieret expeditio, cùm ingenti indigeret pecunia, vt ex deſumpto theſauro, qui quidem Cordubenſi in Eccleſia aſſeruabatur, militibus ſtipendia perſolueret. Qui ita dixiſſe fertur, ſe Dominicam orationē ab vno Religioſorū ſemel ore prolatam vniuerſis totius orbis opibus præponere.

Quid tandem de Philippo Secundo Rege Hiſpaniarum religioſiſſimo dicam? vt ad ſummā rei totius perueniam? Nonnè celeberrimum illud totius ferè orbis templum Diuo Laurentio dicatum ingenti, ac eximio ſumptu erigendum curauit? Imò verò tanta claruit pietate, vt nō modò hoc, cuius meminimus, verùm etiam innumera denuò condenda, atq; collapſa reficienda mandarit, immenſam pecuniæ profuſionem ſuſq; deq; ferens. Contra verò iſte Venetorum Dux, tantùm abeſt, vt Eccleſiaſticā ſeruarit

& immunitatem, & pietatem, vt nihil vtriq;, eo magis contrarium ſe præſtiterit.

Demùm decretum hoc minimè poteſt ſinè incredibili peccato ſuſtineri, ſiquidem rectè intuenti non poteſt ex hoc decreto nomen Chriſto aduerſarium
20 effugi, poſtquàm † templum vti propriā ſibi elegit domum cap. cum Eccleſia Dei de immun. Eccl. & Eccleſiæ cultum ſuis multis ornauit exemplis.

Certè templum vti res ſacra, & ſancta, ne dum in bonis nullius hominū eſſe dicitur, vulgato §. nullius inſt. de rer. diuiſ. cum ſimil. verùm etiā propria Chriſti domus tenenda eſt, vt præallegato c. cū Eccleſia.

Hinc, quadrageſimo die voluit in templum deferri, & offerri vſq; ad præputij ſanguinolentam effuſionem. Lucæ cap. 2.

Hinc duodecim expletus anno, paratum ſe præbuit diſputationibus in templo, vſq; ad parentum diſperſionem, quo in templo frequenter docuit, & miracula quædam fecit. Matt. 21. Marci 11. & 12. & Lucæ 19. & 21. & Io. 7.

Præterea quòd ſtatim ingreſſus vrbem, nullā aliā domum adijt, præterquā ſacrum templū. Matt. 21. Ab illo tēplo Hieroſolymitano ementes, & vēdentes eiecit, dicens domum ſuam eſſe domum orationis, & non ſpeluncam latronū. Matt. 21. Mar. 11. & Lucæ 19. & Io. 21.

Per conſequens prohibendo templorū extructionem cenſetur Dux per vim repellere Chriſtum à domo ſua, arg. l. clam. §. qui ad nundinas ff. de acq. poſſ.
21 Ibi † enim celebrantur diuina, cap. miſſarum, & cap. hic ergo, & cap. nullus de conſec. diſt. 1. & decantantur Deo laudes iux. illud Pſalm. in tēplo eius omnes dicent gloriam.

Ibi

Ibi non eſt locus conuenticularum, ſeu acclamationis hominum, vt l. denuntiamus cap. de his qui ad Eccl. confug.

Ibi exaudiuntur orationes à Deo iuxta eius promiſſionem, ſecundo Paralip. cap.7. oculi mei erunt aperti, & aures meæ intentæ ad orationem eius qui in loco iſto orauerit.

22 Cuius rei non ignarus † Bart. in l.1.nu.25. ff. ſol. mat. rectè duxit vtilitatem, quandam eſſe publicam in vniuerſo, & in quolibet particulari, traditq; exemplum, vt intrare in Eccleſiam, ibique orationem facere.

Nec excuſari poteſt dicendo, quod nõ prohibuerit abſolutè Eccleſias ædificari, ſed ne ædificentur,
23 abſq; Senatus cõſenſu, quoniam † huiuſmodi licentia ſpectat ad Epiſcopum, iuxta traditionem conciliorum. Quod vtiq; probatur ex cap. quidam 18. q.21. vbi ex Calcedonenſi concilio prouiſum eſt in hæc verba, placuit neminem aut ædificare, aut conſtruere Monaſteria, aut Oratorij domum, ſinè ſcientia ipſius Ciuitatis Epiſcopi.

Item probatur in c. de Monachis ead. q. nempè ex Concilio Agathenſi, Nullus de Monachis Monaſterium nouum, niſi Epiſcopo permittente, aut probante, incipere, aut fundare præſumat, hæc ibi.

Idem in Concilio Guarnacienſi 16. q.1. cap. quicunq; his verbis ſtatutum eſt, Quicunq; voluerit in ſua proprietate Eccleſiam ædificare, & conſenſum, & voluntatẽ Epiſcopi habuerit, in cuius Parochia eſt licitum ſit.

Idem ex Concilio Aurelianenſi, de conſec. diſt. 1. cap. nemo, ita ſancitum eſt, Nemo Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus Ciuitatis veniat.

Idem

Idem iure ciuili per Iuſtin. Nouel. 6. tit. vt null. fab. orat. dom. præter voluntatem Epiſcopi, & in Auth. de Monach. §. illud, cum non dedignetur imitari ſacros Canones.

Quòd ſi Iuſtinianus Imperator talem ſibi licentiam non vſurpauit, cur Dux tantum facinus attentare auſus eſt?

24 Quòd ſi Eccleſia ædificanda † cathedralis exiſtat vtiq; ſinè licentia Papæ erigi non poteſt. extra ne ſede vaca. cap. 1. & cap. 1. de tranſ. Epiſ. per cõſequens, ſenatus generaliter ſtatuendo videtur cathedrales quoq; Eccleſias incluſiſſe, & ſic Pontificiam authoritatem vſurpaſſe, quod grauiſſimum ſcelus eſt.

25 Nec minus poterit excuſari † quantum ad oratoria, in quibus ædificandis, non eſt ex Concilio Aurelianenſi neceſſaria Epiſcopi licentia vt cap. vnicuiq; ead. diſt. 1. de conſec. vbi vnicuiq; fidelium in domo ſua oratorium licitum eſt habere.

Reſpondetur enim, hac ſufficienti diuiſione, aut quidem tale oratorium conſtruendum ſit futurum ſacrum, ideſt ad ſacra peragenda, & tunc non licet vnicuiq; paſſim ædificare, ſed obtenta prius Epiſcopi licentia, vt patet in præcitato c. nemo ead. diſt. 1. & in decreto Concilij Trid. ſeſſ. 22. de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ cap. quanta. Aut verò oratorium ſit futurum non ſacrum, nempè ad orandum ſolum, & tunc nõ debuit Dux liberam ex Concilio Aurelianenſi poteſtatem ædificandi oratoria coarctare, & de poſſibile impoſſibilem reddere, quod enim ex aliena pendet voluntate impoſſibile reputatur, ex trad. per Bart. in l. 1. num. 4. ff. de cond. inſtit. tantoq; erit impoſsibile cum à ſola voluntate Principis pendeat l. apud Iulianum §. fin. de

leg.

leg. 1. & per Nact. in repet. clem. ſæpe in prin. in 4. notab. de verb. ſignif.

Si excuſando dicatur Ducis licentiam eſſe neceſ-
26 ſariam iure dominij, prætextu quòd † Veneti præſcripſerunt mare, & accipiunt dacia per nauigantes in ſuo ſinu ſecundum Angel. in l. ſanè, ff. de iniurijs Reſpondetur quod Dux Venetorum nõ eſt proprie dominus, ſed ſolum habet quandã præheminentiã, ex Bald. in l. decernimus C. de ſac. ſanct. Eccl.

ARTICVLVS TERTIVS
DE TERTIO STATVTO.

Caput primum circa acquiſitionem oneroſo titulo clericis non iure prohibitam.

SVMMARIVM.

1 *Verba ſtatuti ſunt attendenda.*
2 *Tenor tertij ſtatuti.*
3 *Statutum diſponens ne poſſit fieri alienatio in Eccleſia, non valet.*
4 *Quo iure tenentur homines ſibi neceſſaria parare.*
5 *Statuta, quæ prohibent venditiones ſine cauſa, non valent.*
6 *Statuta prohibentia venditiones, ſunt contra bonos mores.*
7 *Eccleſia libertatem habet contrahendi cum quacunq; perſona.*
8 *Nunquid clericis prohibita ſit mercatura?*
9 *Statuentes ne fiant clericis venditiones, excommunicantur.*

STATVTVM vltimum, in duo membra diuiſum, aggrediar, per quod facultas vendendi, & alienandi ſtabilia ad pios vſus, etiam eccleſiaſticis perſonis, vetita eſt: vltrà prohibitionem in vltima voluntate.

1 Quia verò † vbi deſunt verba ſtatuti, ibi quoque
deficit ſtatuti diſpoſitio, ſecundum Paul. de Caſt. in
l. dies cautioni §. toties ff. de dam. infect. Tex. eſt in l.
quod conſtitutum ff. de mil. teſtam. & ibi Bart. prop-
terea neceſſarium viſum eſt illius verba præponere,
2 † tenoris ſequentis.

Ne quis in vrbe Veneta, eiuſque ducatu bona immobilia ad pias cauſas teſtamento, ſeu donatione

inter viuos relinqueret, aut alio quouis titulo alienaret, ſiuè ad earum fauorem, iterum expreſsè decretum eſt; ne obligaret. Idemque ne immobilium alienationes in fauorem perſonarum eccleſiaſticarum, ſinè Senatus licentia fierent; atquè bona immobilia omnia, quæ contra præmiſſorum formam vendi, aut alienari contingeret, vltrà nullitatis pœnam, publicari, & vendi, eorumq; pretium inter Rempublicam ipſam, magiſtratum exequentem, & eius miniſtros, ipſum que denuntiatorem diuidi, mãdatum eſt. Die 26. Martij. 1605.

Ad primum ergo membrum deuenio circa alienationem oneroſo titulo, ſcilicet emptionis, & venditionis; quod multifariam impugnari, atquè deleri poterit.

3 In primis † defectu poteſtatis, iuxta doctrinam Rom. in l. ſi publicanus §. 1. ff. de publi. col. 2. docentis, nõ valere ſtatutum, quod expreſsè prohibet alienare in eccleſiam, vel in perſonas eccleſiaſticas; idẽ tradunt Geminian. in cap. fi. de immu. eccleſ. lib. 6. & But. in cap. at ſi clerici de iud. Rurſus decreto huic videtur obuiare natura, ſaltem indirectè; quoniam

4 † tenentur homines, quæ neceſſaria ſunt ad vitam, parare: iuxta Cic. off. primo Principio generi &c. hoc autem paramus, vel arte laboribus noſtris; vel pecunia, ſi quæ deſunt comparamus. iuxta Philoſ. ſecundo Methaph. vbi loquitur de auxilio artis. & ff. de noxa. l. ſi ex duobus §. fin. vbi de labore vitæ. & ff. de contrahenda emp. l. 1. & 2. §. ſinè pretio. Vnde non malè loquitur glo. in l. eaſ. ff. de cap. dim. dum dixit quòd emptio, & venditio fundata ſit in æquitate naturali: licet malè dixerit, non eſſe venditionem ſimpliciter contractum iuris gentium.

5 Vlterius tale ſtatutum prohibitiuum eſt irrationabile, hoc eſt, nudum, & ſine cauſa, ergo nec ſtatui potuit, nec ſeruandum arg.l.filius familias §.Diui.ff. de legat.1.iuncto cap.erit autem lex.diſtinct.4.optimè faciunt l.Senatus ff.de contrahen.emp.& C.eod. l.dudum.& l.1.C.nō licere metrocomiæ lib.11.quæ iura ſupponunt ſtatuta prohibentia vēditiones cum iuſta cauſa, & facit cap. conſtitutus de in integrum reſt. vbi de conſuetudine retrahendi iure ſanguinis approbata.

6 Præterea tale † ſtatutum, vti bonis moribus contrarium decerni non potuit arg.l.nec damnoſa C.de prec.Imp.offer.iuncta l.ſi in emptione §.1. ff.de contrah. emp. cuius verba ſunt hæc. Omnium rerum, quas quis habet, aut poſſidet, vel perſequi poteſt, venditio rectè fit,quas verò natura,vel gentium ius, vel mores ciuitatis commertio exuerunt,earum rerū nulla venditio eſt.Colligitur ex hoc textu, quòd ſtatuta Ciuitatis poſſunt aliquarum rerum commertia prohibere, ergo non vniuerſa: tunc enim non boni, ſed mali eſſent ciuitatis mores, commertia iuris gentium perturbantes l.ex hoc iure, ſuperius ſæpe allegata & l.1.§.fin.ff.de contrahenda emp.& vend.

7 Inſuper tale † ſtatutum tendit contra libertatem Eccleſiæ, quæ poteſt liberè cōtrahere cum quacunque perſona, ſi non eſt a iure communi prohibita; puta,ſi non ſit prodigus,auth.Caſſa.C.de Sac.Sanct. eccleſ.cap. fin.de reb. eccl. non alien. cap. nouerint de ſent. excom. & in cap.Eccleſia Sanctæ Mariæ de cōſt.vbi DD. & in ſpecie inter alia priuilegia: Et hoc habet, vt poſſit emere, prohibitione non obſtante Bart.in dicto §.Diui.n.12. per l.fin.C.de Sacroſanct. Eccleſ. facit.cap.eoſ. 1. quæſt. 1. ibi omnis enim Do-

minus

minus quod habet, ſi vult vendat, ſimiliter & qui emit.&c.præterquàm ſi ſpiritualia, vel etiam temporalia eis annexa vendantur 1.quęſt.3.c.1.Item dummodo iuſto pretio cap. primo vbi Abb. de emp. & vend. Item dummodo non ſit honeſtati contraria l. 2.C.de epiſ.& cler. Ratioq; libertatis huiuſmodi fũdatur in eo, quia quæ ſpiritu Dei aguntur, non ſunt in poteſtate legis c.duæ ſunt 19.quæſt.2.&c.licet ex-
8 tra de regularibus † Nec refert dicere, quòd clerici debent veluti peſtem negotiaturam fugere cap. fornicari & cap.quid aliud 88.diſti. quoniam iura prædicta, & conſimilia loquuntur in mercatura lucri cauſa,nõ propter vſum vitæ neceſſarium; quod quidem lucrum ex ſolertia vilius emendi proficiſcitur, iuxta glo.in ſũm.43.diſtin.3. difficile enim eſt in huiuſmodi negotiantibus non interuenire peccatum c. qualitas de pœnit.diſti.1.hoc id ipsũ diſtinguit ſtraccha. de mercatura p.3. de his qui mercaturam exercere non poſſunt nu.4.& 5.

Nec inconueniens eſt contra Decretũ hoc allegare illud, quod in Euangelio legitur; inuẽtã vna pretioſa Margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam. Math. 13.ex quibus verbis Chriſti,per comparationem pretioſarũ ſeculi Margaritarum cum Regno Cœlorũ. Approbata eſt emptio inter homines, nõ ſolum de rebus faciẽtibus ad neceſſitatem vitæ, ſed etiam ad delẽctationẽ animi in pretioſis rebus, non tamen in ſpiritualibus,in quibus committeretur Simonia.

9 Demum † Statutum iſtud obuiat Decretali Bonifacij oct.in cap.fin.de im. Eccleſ.lib.6.vbi talia ſtatuentes, ne fiant clericis venditiones,expreſsè excommunicantur. Ex quibus liquet, Hoc primum ſtatuti

membrum

membrum eſſe contra naturam, & omne rationis di ctamen, & bonos mores, Eccleſiæq; libertatē: nec nō contra canonicum, & diuinum ius, meritò caſſandū; & ſtatuentes non immeritò excommunicatos eſſe: quia in ſtatuendo commiſerunt peccatum mortale cap. non minus, & cap. aduerſus de im. Eccleſ. Bald. conſ. 253. Caſus talis eſt: quidam de Ciuitate lucana col. 2. in 3. parte, ſequitur Petrus à Petra de poteſtate Principis cap. 29. nu. 42.

Caput ſecundum circa acquiſitionem titulo lucratiuo malè vetitam inter viuos, & in vltima voluntate.

SVMMARIVM.

1 *Inuida res eſt limitare liberam facultatem teſtandi.*
2 *Irrationabile eſt impedire, nè liber ſit ſtilus ſupremæ voluntatis.*
3 *Nulli conceſſa eſt poteſtas ſupra iuriſgentium poteſtatem.*
4 *Teſtamentum eſt iuriſgentium inuentione.*
5 *Statutum impediens relicta ad pios vſus, impium eſt, & contra ſalutem animarum.*
6 *Et contra libertatem eccleſiæ.*
7 *Regula, quæ dignoſcuntur ſtatuta contra libertatem eccleſiæ.*
8 *Cauſa promulgationis l. prima C. de Sacroſan. eccle.*
9 *Conſtitutiones, quibus refragatur ſtatutum hoc Venetorum.*
10 *Donatio facta eccleſiæ valet ſine inſinuatione.*
11 *Probibitus donare non ſuppoſitis iurisdictioni, poteſt Eccleſiæ donare.*
12 *Inſtitutio facta in perſonam clerici valet in teſtamento, etiam non inſinuato: non obſtante ſtatuto in contrarium.*
13 *Sacrilegium committit, qui donationes factas eccleſiæ conatur infringere.*
14 *Donatio facta eccleſiæ per mulierem ſinè preſentia agnatorum valet, ſtatuto non obſtante in contrarium.*
15 *Relicta ad pias cauſſas iudicantur ſecundum canones.*

Sta-

16 *Statutum diſponẽs nè poſſit legari ad pias cauſſas, niſi coram ſeptem teſtibus non valet.*

17 *Non valet ſtatutum nè poſſit hæres inſtitui aliqua fraternitas.*

EXPLICITO primo tertij ſtatuti membro, aſſumo alterum membrum prohibitiuum, tranſlationis rerum ſtabilium, in actu vltimæ voluntatis, vel etiã inter viuos, titulo lucratiuo. Quo circa ſatis liquidè apparebit, decretum ſuſtineri non poſſe, varijs rationibus, & cauſis.

1 Primò vti inuidum, quia † inuida res eſt limitare
liberam facultatẽ teſtandi, vt inſt. de leg. fuſi. canin.
tollen. vbi textus clarus, ibiq; gloſ. infert contra inuidos; adducens à ſimili textum l. 1. in principio C. de cad. tollen. quæ inuidia genere ſuo, eſt peccatum mortale. Iob. 5. Paruulum occidit inuidia, cùm ſit contra charitatem.

2 Secundò vti iniuſtum, & † irrationabile, obuiat
enim vltimo iuſtitiæ præcepto: ius ſuum cuique tribuendi, vt ff. de iuſtitia, & iure l. iuſtitia §. 1. & quid magis hominibus debetur, quàm vt liber ſit ſtilus ſupremæ voluntatis, poſtquàm iam aliud velle non poſſunt? l. 1. C. de ſac. ſanct. Eccl.

Tertiò veluti iniquum, per quod ſibi Dux temerè
ac inſolenter tribuit poteſtatem, quam non habet;
3 quoniam ſtatuendi poteſtas, † nulli eſt conceſſa, ſu-
pra iuriſgentium poteſtatẽ l. vniuerſa, & l. reſcripta
C. de prec. Imper. offer. §. quod autem inſt. de legit.
4 agn. tutel. Vndè quia † teſtamentũ dicitur, eſſe iuriſ-
gentium inuentione, ſecundùm Iaſonem in ante al-
legata, l. ex hoc iure, n. 46. & tradit optimè, Clarus §.

teſta-

teſtamentum q. 2. ſtatuta verò ſunt iura ciuilia vt l. omnes populi eod. tit. propter quod teſtamentum ſemper fuit,& ſemper erit. Ob id ſequitur, ſtatutum hoc nullius eſſe roboris in præſenti materia, licet ſecus eſſet in ſtatutis, circa teſtamentorum ſolennia; ex eodem Iaſone in rep.l.admonendi, poſt nu.184. de iur.iur.

5 Quartò vti † impium, ex eo, quòd impedit ſalutem animarum l.nulli C. de Epiſc. & cler.& Bart.in d.l.1.nu.33.hoc eſt impedit eleemoſynas,quæ in remiſsionem peccatorum effunduntur, Bald. in d.l.1. circa finem, & Iaſ.nu.33. ex cap. requiſiſti extra de teſt. & per Boet. in 4.diſtinc.15. par.2. art.1. quæſt. 4. & per conſequens tendit contra ius diuinum, & contra diuinam voluntatem, quæ eſt, vt homines ſalui fiant.

6 Quintò vti † omnino contrarium libertati, quia contra libertatem Eccleſiæ l.caſſa,& irrita C.de ſac. ſanct. Eccl.cap. nouerit de ſent.excom. Bart.in l.1. nu.28,& 29.C.de ſumma Trinitate,&Abbas in cap: relatum il primo de teſtamentis. Quod autem hoc ſtatutum ſit huiuſmodi, patet expreſsè, ſecundum
7 doctrinam Bart.in eadem l.1.nu.29.vbi docet,† illa ſtatuta eſſe contra libertatē Eccleſiæ, quæ ſunt contra priuilegia cōceſſa Eccleſijs, clericis,& Collegijs. Sed ſic eſt, quòd inter priuilegia illis conceſſa, eſt tale priuilegium, per quod, ab exiſtente in articulo mortis, quaſi milite pugnante pro cœleſti republica, poſsint conſequi etiam relicta per inhabiles, ex natura illius verbi, vnuſquiſq; cum alias nullum videatur priuilegium, ſecundū opinionē Bart. in rep. d.l.1.nu.15.vel quod rectius eſt, à quolibet habile, ſecundū Iaſ.in rep.d.l.1.nu.15.verſ.quid tentēdum.

Nec

Nec priuilegium erit inane, ſed cum cauſa conceſſum. † Cauſa quidem conceſſionis fuit, quia ante
8 Conſtantinum Imperatorem, authorem d. l. 1. Eccleſiæ catholicæ, & earum iuri religioſi multiformiter vexabantur, & de relictis nihil, aut parum admodum conſequi poterant, ita figurando caſum d. l. 1. in repet. declarauit Iaſ. nu. 2. & inferius nu. 16. notabilem adduxit textum videndum in cap. futurā Eccleſiam 12. quæſt. prima inferens ſuperfluum eſſe adhuc egere teſtibus, poſtquam ex eo textu apparet quomodo Conſtantinus Imperator illam condidit legem, vt deinceps poſſit relinqui Eccleſijs, quod ante relinqui non poterat.

9 Sextò vti exorbitans, ſiquidem † ſtatutum hoc refragatur conſtitutionibus plurium Imperatorum, obuiat enim conſtitutioni Imperatoris Conſtantini ad populum Romanum, ex ſæpius citata l. 1. de ſac. ſanct. Eccl. Item conſtitutioni Imperatorum Valentiani, & Martiniani, vt l. generali eod. tit. de ſac ſanc. Eccl. Item conſtitutioni Imperatorum Leonis, & Anthenij in l. illud §. 1. eod. tit.

Hinc, ab Imperatore Iuſtiniano in eadem l. illud
10 eod. tit. ſtatutū eſt † valere donationem Eccleſiæ factam inter viuos, ſinè inſinuatione, quæ lex intelligitur in infinitum, ſecundum Bart. in eadem l. nu. 4. & habetur in ſum. Ang. §. donatio ij primo nu. 20. & tradit Pet. Duen. reg. 224. in 6. limit.

11 Hinc, ſtatuto non obſtante, quo, quis † prohibetur donare forenſibus, ſeu nō ſuppoſitis iuriſdictioni, poterit nihilominus donare Eccleſiæ, ſecundum Ioan. And. in cap. fin. de imm. Eccl. lib. 6. quem ſequitur Iaſ. in d. l. 1. num. 39. in fin. de ſac. ſanct. Eccl. Quia ex tali voluntatis defectu, non comprehendit

eas, ſecundum tradita per Riminal.Iun.conſ.15.nu. 85. cum alijs vol.1.

Hinc Bald. in ſæpè allegata auth. caſſa, & irrita, terminat quæſtionem illam de ſtatuto irritãte teſtamenta non inſinuata intra ſex menſes.
12 † Quòd vtiq; eo ſtatuto non obſtante, valebit inſtitutio facta Eccleſiæ, vel alicui clerico, ſequitur Iaſ. in eadem l.1. nu.40. de ſac.ſanct.Eccl.vbi reſpondit cõtrariæ opinioni quorundam.

13 Hinc, † ſacrilegium committere dicitur, qui donationes factas Eccleſiæ, reuocare conatur cap.ſunt qui apes, & cap.ſacrilegium 17.quæſt.4.

Hinc Bald. in d.l. generali, quem ſequitur Iaſ. in
14 d.l.1.nu.39.de ſac.ſanct.Eccl.& Abbas † affirmat in d.cap.relatum, quòd non obſtante ſtatuto, cauente, quòd mulier non poſsit donare Eccleſiæ, ſeu non poſsit ad piam cauſam teſtari, ſeu non poſsit ſe obligare Eccleſiæ, vel ad piam cauſam ſinè præſentia duorum agnatorum, quòd vtiq; poterit donare teſtari, & ſe obligare: Quia in huiuſmodi relictis, ſeu donatis, ſtandum eſt iuri canonico, non ciuili, cuius ciuilis iuris pars ſtatuta eſſe dicuntur, & vt largius
15 dicam † relicta ad pias cauſas debent iudicari, ſecundum canones, & iura diuina, naturalia, ſeu gentium, & non ſecundũ leges, iuxta verba Bart.in rep. d.l.1.de ſac.ſanct.Eccl.in fine vlt.col.& per Card.in cap.vlt. de conſt. ſimiliter omnia cõcernentia damnum, & libertatem Eccleſiæ, per Canones diffiniuntur, vt per Decia.tract.crim.lib.2.de iur.cano.nu.12.

16 † Hinc, Bald. in eadẽ l.1.de ſac.ſanct. Eccl.infert non valere ſtatutum diſponens, quòd non poſsit legari ad pias cauſas, niſi coram ſeptem teſtibus, velu-
17 ti contra ſalutem animarum: pariterq; † non valet

ſtatu-

ſtatutum, quod fraternitas non poſsit hæres inſtitui, ſecundum tradita per Paulum de Caſtro conſ. 182. incip, dicendum eſt.

Ex prædictis liquet apertè, ſtatutum prædictum nullius eſſe momenti, circa prohibitionē relinquendi, & alienandi, tàm inter viuos, quàm & fortius in vltima voluntate, vti inuidum, irrationabile, iniquū, inconſyderatum, & exorbitans.

ARTICVLVS QVARTVS.

Caput vnicum, de vſurpata Eccleſiaſtica iuriſdictione per coniectionem clericorum in carcerem conſtitutorum in dignitate.

SVMMARIVM.

1 *Quomodo clerici exempti ſunt à ſeculari iurisdictione.*
2 *Sententia Conſtantini Imp. in fauorem clericorum.*
3 *Quomodo clerici coniugati gaudent priuilegio fori.*
4 *Imperium, & poteſtatem excommunicandi non habent poteſtates ſeculi.*
5 *Immunitates fori clericorum à iure diuino proceſſiſſe probatur.*
6 *Vſurpare dicitur laicus iurisdictionem, etiam liberando clericos.*
7 *Sacerdotes Christi ſunt principum omniumq; fidelium patres, & magiſtri.*
8 *De auctoritate ſummi Pontificis.*
9 *Diuina non ſunt comparanda prophanis.*
10 *Conſtitutiones imperatorum in tit. de Epiſ. & cle. an tenenda ſint?*
11 *Iudex quomodo dicitur animata iuſtitia.*
13 *Princeps debitor eſt iuſtitiæ præceptis.*
14 *Iudex laicus capiens clericum infert manus temerarias, licet non violentas.*
15 *Iudex eccleſiaſticus quomodo cenſeatur non poſſe inferre pœnam ſanguinis.*
16 *Eccleſiaſticus debet potius pati ſanguinem ſuum effundi, quam effundere alienum.*
17 *Degradatio neceſſaria eſt etiam in crimine atrociſſimo.*

INTER

INTER exceſſus intollerabiles, progreſſus eſt Venetorum Senatus ad trudendum in carcerem, Scipionem Saracenum, canonicum Vicentinum, & Brandolinũ valde marinum, for Iulienſem, Abbatem abbatiæ de Neruesa dioecesis tracoſinæ, non ſinè vſurpatione pontificiæ iuriſdictionis, & cauſæ ipſorum cognitionis, commiſſione tẽporalibus magiſtratibus: Quo circa duo ſunt offenſa obiecta, obiectum ſcilicet obediens, Itẽ obiectum imperans.

1 Quantũ ad obediẽs, † ſunt omnes clerici, qui iux. tex. in c. ſi Imperator, 96. diſt. ſunt a iuriſdictione Imperatoris exempti; idq; verũ eſt etiam in clerico primæ tonſuræ, & primis ordinibus cõſtituto, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, etiam ſi non incedat in habitu, eſt cõmunis reſolutio doct. quam teſtatur Plot. inter conſ. crim. per Zilet. conſ. 109. nu. 26. lib. 1. latè Roland. conſ. 4. nu. 7. & ſeq. vol. 1. illibata tamen concilij Trid. diſpoſitione, ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.

2 Hinc in ſcripturis narratur, † Conſtantinus Imperator dixiſſe, verè ſi proprijs oculis vidiſſem Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui monachali habitu circumamicti ſunt peccantem, clamydem meã expoliarem, & cooperirẽ eum, ne ab aliquo videretur, & non traderetur iudicibus ſecularibus cap. in ſcripturis diſt. 96. & Anch. conſ. 96. nu. 5. & 6.

3 Idipſum quoq; verũ eſt, † in clerico cõiugato, etiã pro delicto cuius pœna eſſet pecuniaria c. 1. §. 1. de cler. coniug. & etiam ſi ſit primæ tonſuræ vt cap. 2. & ibi DD. ext. de for. comp. & per Cepoll. inter conſilia criminalia conſ. 10. nu. 10.

Quantum

Quantum ad obiectum imperans, loquitur tex. in cap. non ab homine de Iud. vbi gloſ. & DD. & cap. ſi verò de ſent. excom.
4 † habemus etiam tex. in dicto cap. ſi imperans 96. diſt. in hæc verba, non à poteſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus, & Sacerdotibus, omnipotens Deus, chriſtianæ religionis clericos, & Sacerdotes, voluit ordinari, & diſcuti, & recipi de errore remeantes.

5 Hanc fori † immunitatem clericorum, Diuino iure proceſſiſſe, antequam emanaſſet conſtitutio; inquit ibi gloſ. in verbo, & diſcuti, ideoq; non diſpoſitiuam, ſed declaratiuã eſſe iuris Diuini gloſ. in eod. cap. ſi imperans Couarr. pract. quæſt. cap. 31. nu. 1. & congeſta per. Farin. de inquiſi. q. 8. num. 2. Ad quod præter eos, allegari poteſt de vtero 21. vbi dicitur, accedant Sacerdotes, & ad verbum eorum, pendet omne negotium, in exod. 24. habetis Aaron, & Vr, ſi quid vobiſcum ortum fuerit quæſtionis, referatis ad eos, quæ concluſio vera eſt, non obſtante conſuetudine longiſſimi temporis. Aufrer. ad cappel. Toloſ. deciſ. 126. Clar. in §. fin. quæſt. 36. nu. 3. Roland. conſ. 4. nu. 13. vol. 1. & Gabell. Milleloquio 844. Quibus nimiũ confert cõſtitutio Federici 2. qua ſummoperè immunitas Eccleſiaſtica defenditur, confirmata per Synod. conſtantienſem, vt habetur in 4. cõciliorum vol. fol. 404. & optimè conducit tex. in ſeſſ. 25.
6 cap. 20. conſ. Trid. de refor. † ibi Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam &c. & ibi Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & & ſingulos cuiuſcunq; ſtatus, & dignitatis extiterint, vt quò largius bonis temporalibus, atq; in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctius quæ Eccleſiaſtici

iuris

iuris ſunt,tanquàm Dei præcipua,eiq; patrocinio te-
cta venerentur. Item & nec ab vllis baronibus, domicellis, rectoribus, alijs dominis temporalibus, ſeu magiſtratibus, maximeq; miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur;ſed ſeuerè in èos,qui illius libertatem,immunitatem,atq;iurisdictionem impediunt animaduertant. Vnde Pelagius Papa cap. ſcitote 3. quæſt.6.ibi ad quorum ſcilicet Epiſcoporum,omnes cauſæ Epiſcoporum,& reliquorum Sacerdotum, ac ciuitatum referantur.

Ex predictis ſinè dubio infertur,ex huiuſmodi in vincula detruſione, cauſæq; commiſſione, exceſſiſſe Ducem in vſurpanda iuriſdictione.vt cap. nō minus ext.de immunit.Eccl. & cap. at ſi clerici de iud. & cap. ſi diligenti, & cap.ſi ſeculares de foro comp. lib. 6. Et † vſurpata dicetur iuriſdictio, etiam ſi laicus non condemnet,ſed liberet clericum Bal. in aut. clericus quoq; nu.10.de Epiſc.& cler. & d. cap. at ſi clerici. &c.

7

Iniquitas deducitur ex ſequentibus rationibus, nempè,quia ex filio Eccleſiæ,ſe fecit præſidem.eod. cap.ſi imperans. Item ex diſcipulo ſe fecit magiſtrū, vt ead.diſt.96.cap.ſi quis dubitet, ibi, non ne miſerabilis inſaniæ, eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrū ſibi conetur ſubiugare? huiuſmodi ſunt Chriſti ſacerdotes, quos Regum, & Principum, omniumq; fidelium patres, ac magiſtros cenſeri nemo dubitat: propter quod dedecet per inferiorem corrigi ſuperiorem cap.inferior diſt.21.

Item paruipendit ſententiam Apoſtoli, prima ad Corinthios cap.2.ſpiritualis iudicat omnia, & ipſe à
8 nemine iudicatur, hæc ibi, quæ ſententia † maximè procedere debet in Papali authoritate vltra cætero-

rum

rum Prælatorum authoritates, cum is locum Principis Apoſtolorum teneat cap. videntes 12. quæſt. 1. eiuſq; auctoritas ſanctorũ auctoritatibus eſt maior cap. 1. diſt. 20. ipſeq; ſolus habet omnes dignitates, & omnem poteſtatem, quas quidem omnes Patriarchæ habuere, ſecundum Bernard. de contemplatione ad Eugenium.

9 Item † Diuina profanis comparauit ſinè diſcrimine, cõtra ſententiam Iuſtiniani Imperatoris in l. ſancimus C. de ſac. ſan. Eccl. in hæc verba: Cur enim (inquit tex.) non facimus diſcrimen, inter res diuinas, & humanas? & quarè non competens prærogatiua cœleſti fauori conſeruetur?

10 Nec excuſare ſe poteſt ex † diuerſis imperialibus cõſtitutionibus, in eod. tit. de Epiſc. & cler. vt l. præſbyteri, Auth. præsbyteri, & Auth. nullus Epiſcopus, in quibus criminoſi clerici à tẽporalibus iudicibus pœnis ſubijciuntur. Reſpondetur enim quòd licet multæ leges reperiantur factæ ab Imperatoribus ſuper clericis, & Epiſcopis in toto illo tit. tamen hæ validæ ſunt, propter duo; tùm quia imitantur ſacros Canones, tùm etiam quia approbatæ ſunt à Papa, vt poſt alios tradit Alciat. ſuper illa rub. & facit tex. in cap. ſi inter 6. quæſt. 4. vbi Papa leges Imperatorum ſuas leges eſſe dicit, ergo vbi non ſunt approbatæ non ſunt tenendæ.

Nec poteſt ſe excuſare prætextu quòd ſit lex animata in ſua republica, & proindè inquit Philoſ. homines

11 confugiunt ad † iudicem, ſicut ad quandam iuſtitiam animatam, Ethicor. 5. Reſpondetur enim dictum Philoſophi procedere in eo cui cõuenit nomen iudicis. Ecce iudex ſic dictus quaſi ius dicens cap. forus de verb. ſignifi. (ius autem eſt obiectum

iuſtitiæ)

iuſtitiæ) ergo rectũ, & iuſtum non dicetur iudicium,
13 niſi quando propriè pertinet ad iuſtitiam; † cuius
præceptis Princeps eſt debitor, Afflict. in cap. 1. in §.
quoniam in fin. de prohib. alien. per Lothar. in vſib.
feud. Sed ſic eſt quòd ad iuſtitiã nõ pertinet laicum
iudicare clericos à ſe alienos d. cap. ſcitote ibi à ſuis
iudicibus iudicetur, & non ab alienis, ergo, &c.

14 Nec refert dicere quòd † laicus capiens clericũ,
vt iudex non dicatur inferre manus violentas l. iniu-
riarum §. quæ iure poteſtatis l. quod rei publicæ, & l.
iniuriarũ §. 1. ff. de iniur. quoniã benè dicitur inferre
manus temerarias, vt in c. contingit de ſent. excom.
vt per Decian. in tract. crimi. tho. 2. lib. 6. c. 19. nu. 8.

15 Neq; cõfert dicere quòd † in delictis ſecularibus,
& Canonicis, in quibus pæna ſanguinis infertur, nõ
habet Iudex Eccleſiaſticus iuriſdictionem, etiam ſi
eſſet legatus de latere cap. fin. & ibi Io. And. ne cler.
vel monach. in 6. & per Aret. conſ. 58. diligenter col.
2. & 4. quoniam præterquam quòd non poteſt cle-
ricus, à ſeculari Iudice puniri, etiã pro crimine atro-
ciſſimo, vt tradit Gig. in tract. de crim. leſ. Maieſt. lib.
1. rub. quis de crim. leſ. Maieſt. cognoſcere poſſit nu.
12. Fatemur quidem Eccleſiam non habere ſenten-
tiam ſanguinis cap. ſententiam ſanguinis ne cler. vel
monach. & not. in cap. ad audientiam de crim. fal.
propter quod efficeretur clericus irregularis, ea effi-
16 caci ratione † quia exemplo Chriſti debet Eccleſia-
ſticus pati potius ſanguinem ſuum effundi, quàm ef-
fundere alienum; patet in Dauide de quo ſcriptum
fuit, non ædifices mihi templum, ex quo vir ſangui-
nis es, alioquin Eccleſia per ſanguinis effuſionẽ pol-
luitur cap. propoſuiſti, & cap. fin. de conſec. Eccl. vel
alt. Reſpondetur enim iſtæc nõ abſolutè intelligen-

da, ſed directè ferre non poſſe; indirectè autem ſic, nempè ſi clericus degradetur, & curiæ ſeculari tradatur; not. in cap. ſi non ab homine, extra de iud. &
17 & Anchar. conſ. 158. ex narratis col. 2. † quæ traditio, & degradatio eſt neceſſaria: & ſi crimen ſit enormiſſimum; Couarr. prat. quæſt. cap. 32. verſ. primum etenim, & Roland. conſ. 4. nu. 22. vol. 1. & per Farin. de inquiſit. cap. 8. nu. 74.

Proindè facta tali degradatione, nullam incurret tradens irregularitatem cap. 3. ne cler. vel monach. lib. 6. abſit enim, vt ea, quæ propter bonum, & licitum facimus, vel habemus; ſiquidem propter hoc, præter noſtram voluntatem, quicquam mali acciderit, nobis imputetur 23. quæſt. 5. cap. de occidendis, & Io. Monach. in d. cap. 3.

ARTICVLVS QVINTVS.

DE SVBDOLIS EXCVSATIONIBVS DVCIS IN VLTIMO EDICTO.

Caput primum; an ſit admittenda excuſatio ob Ducis regimen ſeculare tuendum?

SVMMARIVM.

1 *Iniuſtè inculpatus debet reſponſum dare aduerſus omnem calumniam.*
2 *Standum ſententiæ Papæ etiam ſi totus mundus ſentiret contra.*
3 *Vaſe fætido, vel vinum, vel oleum facile corrumpitur.*
4 *Monachus recipit formam à Monaſterio quod ingreditur.*
5 *Quatuor excuſationes Ducis.*
6 *Melius eſt à bono Rege regi, quam a bona lege.*
7 *Tutor deſerens litem captam facit litem ſuam, licet pubertate finita tutela fuerit.*
8 *Cuſtos de interitu bouis tenetur, quem dimiſit in ſilua.*
9 *Annualis magiſtratus continuat in officio, vſq; ad ſucceſſoris aduentum.*
10 *Regnum a Deo Regibus datum.*
11 *Statuta, & edicta principum vim habent iuris ciuilis.*
12 *Statuta ſecularium non valent vbi nominatim clerici ſunt expreſſi, cum duabus ampliationibus.*
13 *Conſtitutio in auct. habita non comprehendit ſcholares clericos.*
14 *Statuta laicorum quare non valent ſuper rebus Eccleſiaſticis poſſeſſis à laicis.*
15 *Quid ſi facta ſint pro bono publico.*

POSTQVAM Dux Venetorum
pluries monitus, vt reuocaret ſta
tuta, de quibus delẽdis demon-
ſtratum eſt in præcedentibus ar-
ticulis; poſt funera inquam, lit-
teras emanauit excuſatorias; Si-
1 quidem princeps qnando † in-
iuſtè reperitur inculpatus, debet reſponſum dare, ad
uerſus omnem calumniam tex. eſt in l. ſi ſorore C. de
his quib. vt indig. ſed falsò ei perſuaſũ eſt, dum pro-
teſtatur gentibus, ſperans aliquem in ſuam ire ſentẽ-
2 tiam, ignarus enim eſſe non debuit, † ſtandum ſen-
tentiæ Papæ, etiam ſi totus mundus ſentiret contra-
rium iux. gloſ. in cap. nemo 11. quæſt. 3.

Nihilominus vt nullus fidelium oleat fætorẽ ma-
lignitatis Venetorum, ſub ſpecie odoris fidelitatis,
decreui totum corpus litterarum mirari, vt appareat
3 bona, an potius mala eorum intẽtio † cap. inter hæc
il primò de pænit. diſt. 4. ibi vaſe fætido, vel oleum,
vel vinum facile corrumpitur, vbi gloſ. allegat illud
Horatij, ſyncerum eſt, niſi vas, quodcunq; infundis
aceſcit, eundemq; tex allegat ſpeculator tit. de ſtat.
4 monach. verſ. 33. quæritur † dicens, quòd monachus
recipit formam à Monaſterio, quod ingreditur, ſicut
vinum, odorem à vaſe, propterea neceſſarium eſt,
totas litteras videre, & tangere l. in ciuile ff. de legi.
quarum complexio eiuſmodi erit.

Hæ litteræ videntur notificatoriæ intentionis Du-
cis Veneti, ad habendam reuerẽtiam erga fidem ca-
tholicam, ſed re vera ſunt calumnioſæ, & multiplici
ex capite, indiſcretæ; quamobrem ſunt omnino re-
ſpuendæ, clauſulis, quas quidẽ adducit ad ſe ipſum
purgandum, minus cohærentibus.

Sed antequam ignauiam litterarum oſtendam, prius excuſationes illarum ſupponendas duxi, proculdubio friuolas, vanas, & ſinè fundamentis.

5 Quatuor † autem in eis adducuntur, primum ne Dux deſerat regimen à Deo ſibi datum, ſecundum vt tueatur authoritatem Ducatus citra ſuperiorem, poſt Deum in tēporalibus: tertium, quia Ducis orator non præualet in iurium capacitate, coram Papa. quartum propter iniuſtitiam, & nullitatem monitorij litterarum Apoſtolicarum.

Et gradum faciendo ad primum fundamentum, fatemur, bonos Duces non debere ſubditorum ſuorum regimen deſerere, cum † melius ſit à bono

6 Rege regi, quam à bona lege, ſecundum Ariſtotelem de repub. & per Bart. in l. præſenti in princ. C. de his, qui ad Eccl. confug.

Hinc facit in argumentū tex. in c. 2. extra de cler. non reſid. vbi Cardinalis Anaſtaſius, ex eo fuit depoſitus, quia Parochiam ſuam in annos quinq; de-

7 ſeruit: † facit etiam tex. in l. vnica C. vt cauſæ poſt puber. adſit tut. & ff. de adminiſt. tut. l. ita tamen §. poſt cōpletum, vbi tutor non poteſt certam cauſam deſerere, licet, pubertate ſecuta, fuerit finita tutela, aliàs facit litem ſuam, Franc. Marc. deciſ. 99. nu. 3. par. 5. Fulgoſ. conſ. 82. num. 1. & Menoch. conſ. 145. nu. 15. vol. 2.

8 Hinc tenetur † cuſtos de interitu bouis, quem lupi comederunt, ſi dimiſerit in ſiluam paſci. ſpec. tit. de locat. §. poſtquam verſ. quid ſi locaui Bald. in l. 3. C. de Epiſ. audien. & Decian. conſ. 29. nu. 17. vol. 1.

9 Hinc † annualis magiſtratus non poteſt adminiſtrationem deſerere, etiam finito anno: ſed cōtinuat vſq; ad ſucceſſoris aduentum l. 1. §. adminiſtratione

C. vt

C.vt omn.iud.& platea in l.neminen in ſecundo no-
tab.C. de ſuperexac. & Archar. lib. 10. & Arnon. in
ſuis differentijs differ.78.

10 Fatemur rurſus †Regnum à Deo datum Regibus, iuxta Salomonem in ſuis prouerb. per me Reges regnant, & potentes ſcribunt iuſtitiam, & tranſumptiuè in epiſtola inter claras in princ. C. de ſum. trin. & fid. cath. & Paulus ad Romanos cap. xiij. non eſt poteſtas niſi à Deo.

Malè autem hinc infertur Regibus temporalibus clericos eſſe ſubditos, atq; teneri obſeruare illo-
11 rum edicta. ſiquidem † ſtatuta,& edicta Principum, licet habeant vim Iuris ciuilis, ſecundum Bart. in l. ſtipulationum aliæ in fine princ. ff. de verb. oblig. vbi Iaſ.nu.9.& Alex.in l.1.nu.2.C. vt quæ deſunt ad vo-
12 cat, † non tamen valebunt ſi in eis nominatim expreſſi ſunt clerici, ſecundum Feli.in cap. Eccleſia S. Mariæ nu. 85. de conſt. quem ſequitur Neuiz. conſ. 39.n.10.quamuis exiſtant iuſta,& rationabilia, Purp. 335.num.2.Imò etiam fauorabilia, ſi præceptiua, & arctatiua ſint, nõ arctant clericos, Lapus alleg.100. Alex.conſ.200.& ſeq.par.2.& Mateſel.notab.112.

13 Hinc † conſtitutio Federici in auth. habita C. ne fil. pro pat. non habet locum in clericis ſcholaribus, ſecundum Mant.in ſua Analiſi cent.16.interrog.13.

14 Nec minus valebunt eorum † ſtatuta ſuper rebus Eccleſiaſticis, poſſeſſis à laicis: quoniam licet verba decreti diriguntur in perſonas ſubditas, vt ſunt perſonæ laicæ, tamen cũ effectu reſpiciunt res ipſas Eccleſiaſticas, ita Ancha.conſ.155.num.8.quia non curandum cum quo loquatur, ſed in quem voluntatis intentio dirigatur l. cum pater §. donationis ff. de leg. 3.

Nec

15 Nec excuſatio fauet Duci † in ratione publicæ vtilitatis; quoniam quantum ad res Eccleſiaſticas nõ valent ſtatuta, etiam pro bono publico facta, ex trad. per Ferr. conſ. 37. in fin. vol. 1. Burſa conſ. 200. nu. 50. Rebuff. tom. 1. in procem. 1. gloſ. nu. 55. & ſeq. & Garzia de vlt. fine nu. 158. & ſeq.

Caput ſecundum, an ſit ſuſtinenda excuſatio intuitu libertatis citra ſuperiorem?

SVMMARIVM.

1 *Quatuor Regnorum tempora.*
2 *Deus per ſe ipſum rexit mundum vſq; ad tempus Noe.*
3 *Vicarij Noe qui fuerint, & à quo cæpit formale Regnum.*
4 *In Chriſto vera, & vniuerſalis reſedit Monarchia.*
5 *Tiberius, & ſucceſſores eius vſurparunt vniuerſale Regnum.*
6 *De lege Regia.*
7 *Arcbadius fuit conſtitutionum primus conditor.*
8 *De Conſtantino.*
9 *Qui nam ſibi Regna vſurparunt.*
10 *Quatuor Monarchiæ particulares.*
11 *Qui ſine titulo poſſidet neſcit aliter reſpondere, niſi poſſideo, quia poſſideo.*

AD ſecundum fundamentum deueniens ſimul proſequor primũ: malè inquàm, & peius ex vtroq; fundamento infertur, omnis poteſtas à Deo eſt, per quem Reges regnant: ergo Dux Venetorum poteſtatem citra ſuperiorem habet à Deo, vt ſtatim probabitur, Sed quia articulus iſte, de Regno, & Monarchia eſt grauioris doctrinæ, ob id altius eſt diſcutiendus.

Quatuor

1 Quatuor † proprindè tēpora ſunt conſideranda: Primum tempus ante diluuium, per Deū ipſum. Secundum poſt diluuium, per miniſtros eius. Tertium orta gratia per Chriſtum ipſum. Quartum, & vltimū per Petrum Vicarium ſuum, eiuſq; ſucceſſores.

2 Primo tempore, ſicut † ipſe in principio creauit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Gen. 1. & ab ipſo omnium elementorum proceſſit diſpoſitio. vt l. 1. in prin. C. de vet. iur. enuel. Ita (inſtar fabri, qui à ſe fabricata gubernat) per ſe ipſum rexit mundum ſua prouidentia, ſuiſq; preceptis, & tranſgreſſoribus per ſe ipſum pœnam impoſuit. Gen. 2. & 3. durauitq; hoc Regnum vſq; ad tempus Noe.

Secundo tempore, cæpit regere creaturas per miniſtros, quorum primus fuit Noe, dum ei commiſit arcam, ſignificantem vniuerſalem Eccleſiam: indè ſucceſſerunt † in vicaria Noe, Patriarchæ, Iudices, Reges, Sacerdotes, & alij, qui Iudæorū populo præfuerūt, Primumq; formale Regis nomen erexit Deus ſub Samuele, qui fuit vicarius Noe, à quo Samuele voluit Deus ordinari Saulem Regem Hieruſalem: poſt Saulem Dauid, & Salomon. Hoc igitur fuit primum formale Regnum approbatū auctoritate Dei.

4 Tertio tempore, adueniente Chriſto, † in ipſo reſedit vera, & vniuerſalis Monarchia, iuxta illud Matt. vlt. cap. data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Io. 17. & Mar. 16. fuit enim naturalis dominus, & Rex noſter. Iuxta illud Prophetæ, Deus iudicium tuum Regi da, Chriſtus Ieſus Vicarium ſuum cōſtituit Petrum, cùm dixit ei, tibi dabo claues, &c.

Quarto tempore, poſt Chriſti mortem, non recognito Petro † Tiberius, & ſucceſſores vſurparunt vniuerſale Regnum, prætextu quòd populus Romanus

manus trãſtulit Principi omne Imperiũ, † virtute legis Regiæ, qua cauebãt, vt is Princeps nulla legis neceſſitate teneretur, omniq; ſcripto iure ſolutus eſſet, ei verò parerent omnes. §. ſed, & quod Principi, Inſt. de iur. nat. cæpitq; lex iſta, anno 729. teſtante Dione lib. 53. Abhinc cæperunt Principum conſtitutiones,
7 † quarum conditor primus Archadius extitit Imperator l. 1. ff. de cõſt. princ. ſed re vera nõ potuit popu-
8 lus Romanus præiudicare toti orbi; † Conſtantinus indè agnouit bonam fidem, & reintegrauit Pontificem ſuperiorem ſuum. vt cap. Conſtantinus diſt. 96. ſed qui fuerunt inter ipſum Deum, & Noe præter
9 ſucceſſores Noe, † non poſſunt dici habuiſſe Regnũ à Deo, ſed vſurpatores potius dicendi ſunt. Ecce ante diluuium, vt refert Aug. de ciuit. Dei: Cain erexit ciuitatẽ Henoch, eiuſq; Regnum vſurpauit, poſt diluuium erexit Nembrod, & ædificauit turrim, & cæpit Regnum vſurpare. Gen. 11. apud Aſſirios in ciuitate Niniue erexit Ninus Regnum tyrãnicum, & ita per varias ciuitates, & ꝓuincias, diuerſa regna erecta fuerũt: negari tamen nõ poteſt Melchiſedech. qui vti vir iuſtus erectus fuit Rex Chananęorũ Gen. 14. mo-
10 dò inſurrexerunt per vſurpationem † quatuor Monarchiæ particulares, hoc ordine. Prima Chaldeorũ, & indè Aſſiriorum. Secunda Perſarum, & indè Medi, & Parthi. Tertia Græcorum. Quarta Romanorũ: ſed potius vi belli, quàm à Deo erecti ſunt. proindè Ethiopes inuaſerũt Aſſirij, Aſſirios Babylonij, Babylonios Perſæ, Perſas Macedones, & Macedones deniq; Romani. tota hæc doctrina eſt Præpoſiti in cap. cum ad verum diſt. 96. & Innocentij in cap. licet extra de for. compet. in ſumma antè Chriſtum fuerunt vſurpationes, exceptis illis, in quibus fuit formale

Regnum à Deo, poſt Chriſtũ: ſimiliter imperia eorũ, qui nõ recognoſcunt Papam ſuperiorẽ, fuerunt vſurpationes, excepto Conſtantino, qui dum fuit vſurpator percuſſus fuit lepra; inde pœnitentia ductus, fuit reintegrator Papalis Monarchiæ, vt d. cap. Cõſtant.

His igitur præmiſſis, quæro à Duce iſto; ſi eſt maior Conſtantino? Conſtantinus recognouit Papam, iſte cur non obedit ei? certè non poterit aliter
11 reſpondere; † niſi (prout ſolet) qui ſinè titulo poſſidet, reſponſum dare, poſſideo; quia poſſideo, vt ff. pro poſſeſſore per totum: uel dicet, poſſideo, quia præſcripſi talem libertatẽ; vt cum Bart. in l. infamem ff. de pub. iud. & in l. hoſtis ff. de cap. magis communem dicit Corſet. in tract. de poteſt. Regum nu. 67.

Rurſus eum interrogo, ſi poſſit facere legem, ſicut Cæſaris Auguſti edictum, vt deſcriberetur vniuerſus orbis? certè reſpondebit, poſſe vniuerſis ſibi ſubditis; ergo dicemus ei, quare in clericos auſus eſt decreta facere, qui ei ſunt minimè ſubditi? Iterum; ſi replicãdo dicetur ex parte Ducis, poſſe ſtatuta facere etiam in clericos, ex eo quòd in temporalibus non recognoſcat ſuperiorem, quæremus vnde hæc ditio ſuperior fundatur? certè neſcit reſpõdere; niſi mentiendo, vt dicit, immediatè habere à Deo.

Vera igitur erit talis reſolutio, nempè, ſiue primis, ſiue vltimis initijs poſſe inhærere: ſed primi, & etiam vltimi Reges (vt dixi) qui neminem recognoſcunt ſuperiorem in temporalibus; etiã incluſo Papa, ſunt vſurpatores; ſequitur, & Ducem ipſum eodem vitio laborare: hoc eſt regimèn habere cum ſua cauſa, ſuiſq; vitijs, & ſic vſurpatiuè l. cũ hæres in princ. ff. de diuerſ. præſcript. tantò magis, quia Venetiarũ prima fundamenta olim iecerunt, anno Chriſti 420.

Caput tertium, an excuſatio, ob in auditum oratorem eum foueat?

SVMMARIVM.

1 Princeps omnia iura in ſcrinio pectoris habere dicitur.
2 Coram Papa allegantur facti allegationes.
3 Sapientia collateralium, Principem reddit ſapientem.
4 Nunquid poſſit quis præſcribere mare, ſeu aliquam iuriſdictionem in mari?
5 Veneti nunquid habeant diſtincta maria ex preſcriptione, an ex conſuetudine?
6 Veneti nunquid habeant dominium ciuitatum, quas ædificarunt in mari?
7 Imperium procedit à Papatu.
8 Libertas Venetorum citra ſuperiorem de facto, non de iure ſuſtinetur.
9 Priuilegium Venetorum confutatur.
10 Non eſt veriſimile, velle Papam ſubijcere clericos iuriſdictioni laicorum.

NVNC tertium progredior fundamẽtum; dum dicit, ob id procedere ad notificationem iſtius edicti, quia Ducis orator non poſsit capacem reddere ſuorum iurium ſummum Pontificem, & iſtud friuolum eſſe fundamentũ probabo; hoc enim, aut prouenit defectu Papæ, aut defectu oratoris; defectu Papæ dici nõ poteſt, ergo defectus oratoris eſt.

Non poteſt Papæ (qui ſic dictus eſt à Papè interiectione admirantis iux. notat. in procem. clem.)
1 impingi iurium incapacitas, † poſteaquàm in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere omnia iura. vulg.

ſententia eſt in c. 1. de conſtit. in 6. Ancha. conſ. 65. pro clariore col. 2. & cõſ. 293. vltra in princ. Proindè coram eo, non allegantur leges, vt per Abb. in cap.
2 veſtra de cohab. cleric. † ſed benè audit allegationes facti, vt cap. dudum de elect. factú enim quandoq; prudentiſſimos fallit, l. 2. ff. de iur. & fac. ignor. & Bal. in l. 2. in §. 1. col. 4. C. de iur. calum, vnde quæ facti ſunt, ignorare præſumitur, ſecundum Abb. in c. examinata nu. 5. de confir. vtil.

Et licet impoſſibilis videatur ſententia prædicta, Papam omnia iura in ſcrinio pectoris habere, cum habere infallibilem omnium memoriam, ſit potius diuinitatis, quàm humanitatis: vt C. de vet. iur. enucl. col. 2. §. ſi quid autẽ, & de acq. poſſ. l. peregrè, tamen
3 ſic habere neceſſariò præſumendus eſt, † propter ſapientes, atq; prudentes, qui lateri eius aſſiſtunt l. omnium, & ibi Cin. C. de teſtam. l. iuris peritos in princ. vbi Bal. ff. de excuſ. tut. pluresq; ad propoſitum, allegat Marcus Mant. dialog. lib. 4. dial. 67. Igitur dicendum ſequitur, defectum eſſe in oratore, qui erubeſcit coram Papa notificare, quæ notificanda non ſunt. arg. c. erubeſcant diſt. 31. & nihilominus quicquid allegant, cuilibet ſani capitis inutile iudicabitur, & inane.

Sed ad maiorem Ducis confuſionem, videamus quid iuris pro eo allegari poteſt; nam quò ſe vertat, ſuccumbat oportet, tàm ſi gentium, quàm ſi ciuili adhæreat iuri. De iure cõmuni ſi quid allegant, depromi poſſet ex verbis Bal. in l. 1. ff. de diuiſ. rer. nu. 2.
4 vbi quærit, † nunquid poſſit quis præſcribere mare? ideſt aliquam iuriſdictionẽ in mari, & poſteaquàm arguit ad partes, concludit affirmatiuè; motus, quia de iure gentium ſunt diſtincta regna in terra arida;

ergo

ergo & in mari, cuius alueus terra eſt, vti vltima ſphera, & infert ex hoc, quòd ius ciuile illud idem poſsit per viam præſcriptionis l. ſi quiſquam ff. de diuer. præſcrip. Tamen ſtatim ſubinfert Bald. quòd †
5 Veneti ſua habent maria diſtincta, ex inueteratiſsima conſuetudine; quaſi dicat nõ ex præſcriptione, (dicitq; ipſe) illud, quod alteri applicatur; itaquod alij non auferatur, ex conſuetudine fieri dicitur, ad differentiã præſcriptionis, per quam applicatur vni, itaquod auferatur alteri. Per conſequens doctrinã Bald. eſt in fauorem Papæ: quoniam cenſentur Veneti præſcripſiſſe mare, ſinè præiudicio Eccleſiæ.

Rurſus, ſi allegant eundem Bald. in eadem l. 1. nu. 6. quem refert, & ſequitur Iaſ. in l. cunctos populos
6 nu. 1. C. de ſum. trin. nihil nocet, quærit enim ibi, † nunquid licitum ſit ædificare in mari? ſicut in littore? & concludit quòd ſic, inferens Venetos habere dominium ciuitatum, quas in mare ædificauerunt, ſicut quodlibet aliud ædificium l. in tantum eod. tit. poſtea ſubdit hæc verba, hac ratione, Veneti prætendunt libertatem, quia non ædificauerunt in ſolo alicuius; cæterùm qui in ſolo iuriſdictionali alicuius ædificat, illius efficitur ſubditus. iux. not. in Specul. tit. de relig. dom. verſ. quid ſi petatur Ciuitas. Ergo non dixit Bald. quòd habeant libertatem, ſed prætendunt, imò quia dominium iuriſdictionale, & in terra, & in mari, habet imperium, vt præcit. l. depræcatio ff. ad l. Rhodiam de iactu, † imperium autem
7 procedit à Papatu, vt de com. teſtatur Ant. de Butr. in cap. per venerabilẽ, qui fil. ſint legit. propter quòd ſolus Papa ſententiam Imperatoris declarat nullam cap. paſtoralis de re iud. & ſolus Papa deponit Imperatorem eod. tit. cap. ad Apoſtolicæ, quoniã neu-

trum

trum ab æterno, ſecundum Angel. in Auth. quomodo opor. Epiſc. ſequitur dicendum, mentem Bald. eſſe; libertatem Venetorum nõ poſſe aliter iure prætendi, præterquàm ſinè præiudicio Pontificalis, & imperialis iuriſdictionis.

9 Si in fauorem Ducis allegatur † doctrina Cini in l. final. C. de pet. hęred. & in l. fin. C. de donat. inter vir. iur. & vxor. & Matth. Afflt. in rubrica quæ ſint regal. in vſib. feud. nu. 38. qui dicunt, Ducem iſtum in temporalibus nõ recognoſcere ſuperiorem. Reſpondeo hos legum doctores loqui de facto, & poſſunt apertis libris videri: ſed de iure, & per puncta rationis obſtat Venetis. tex. d. l. deprecatio ff. ad l. Rhodiam de iactu l. benè à Zenone C. de quad. præſcrip. & in l. 2. C. de off. præt. Afric. gloſ. in cap. 2. de pace iur. firm. in vſib. feud. & in cap. quicunq; 11. quæſt. 1. & Imol. in l. Imperatores in princ. col. 1. ff. de app.

Si Allegetur Alber. in l. cũctos populos C. de ſum.
19 trin. & fid. cath. dum dicit, vidiſſe † priuilegium Imperatoris Lotharij, libertatis Venetorum, munitum Bulla aurea; nihil eſt, dum de eo non conſtat, ſecus quando priuilegium eſſet clauſum in corpore iuris. Similiter ſi allegetur Gigas de crim. læſæ. Maieſt. lib. 1. tit. quis de crim. lęſę Maieſt. cogno. poſſ. n. 20. & 21. qui teſtatur vidiſſe, & legiſſe priuilegium reipublicæ Venetorum ab apoſtolica ſede conceſſũ, quorum vigore vidit illis indultum, vt in atrocioribus, puta criminibus læſæ Maieſtatis, falſæ monetæ, nefando crimine ſodomiæ, procedere poſſint cõtra quoſcunq; clericos, etiam in ſacris ordinibus conſtitutos; in cæteris verò criminibus, poſſint procedere contra clericos, dummodo non ſint beneficiati, & in ſacris ordinibus conſtituti. Reſpondetur (dato, & non con-

ceſſo quòd appareat) tenendum, & reputandum eſ-
12 ſe ſubreptitium; ex eo † quia nõ eſt veriſimile, quòd Papa voluerit ſubijcere clericos iuriſdictioni laicorum, ex dictis per Felin. in cap. 2. nu. 2. de maiorit. & obed. & Abb. nu. 2. Rurſus, quia hoc eſſet contra ius diuinum: plures congerit Surdus conſ. 301. nu. 51.

Huc vſq; igitur liquet, non fouere ius aliquod, nec gentium, nec ciuile, neq; cõſuetudinem, neq; etiam aliquod priuilegium.

Caput quartum, circa prætenſam iniuſtitiam, & nullitatem cenſurarum.

SVMMARIVM.

1 Excommunicare eſt iuriſdictionis.
2 Eſtq; meri Imperij, ob publicam cauſam.
3 Eſtq; de munere Epiſcopali.
4 Excommunicationis Sententia, contra quos ſit ferenda.
5 Duo requiſita, ex quibus ordinatur excommunicatio; monitiones ſcilicet, & delicta.
6 Dogma illud Chriſti, paſce oues meas, exponitur.
7 Nulla maior quietis perturbatio, quã aduerſari libertati Eccleſiæ.

AD quartum, & poſtremum accedo fundamentum; ſcilicet prætextu iniuſtitiæ, & inualidæ excommunicationis ſententiæ, circa quod, adducit Dux quinq; falſas impugnationes aduerſus breue apoſtolicum. Quarum prima eſt contra omnia iura. Secunda autem dogmata diuina peruertit. Tertia quidem, in præiudicium ducalis auctoritatis vergere videtur. Quarta verò vniuerſale,

ſale, & maximum ſcandalum exhibet. Quinta demum, ſubditorum tranquillum ſtatum perturbat.

Quò ad primam impugnationem, quò facilius repellatur, ſuppono ſententiam Summi Pontificis nulla conſideratione poſſe impugnari, ſiquidem con-
1 ſiderata potentia actiua, nemo ignorat, † excommunicare eſſe iuriſdictionis. cap. à nobis extra de ſét.
2 excom. il primo, & cap. tranſmiſſam de elect. lib. 6. † imò propter publicam cauſam, & rationem contumaciæ, eſt meri Imperij, Innoc. in dicto cap. ex tranſmiſſa, & Iaſon in l. Imperium num. 24. verſ. quartum
3 exemplum ff. de iuriſdic. om. iud. † ſed ſic eſt, quòd talis iuriſdictio, & tale Imperiũ eſt de munere Epiſcopali: vt cap. viſis 16. quæſt. 2. vbi dicitur, quòd anathema ſit mucro Epiſcopalis; ergò ſententia de qua agitur, non eſt aliquo iure impugnanda.

4 Conſiderata etiam potentia paſſiua, † fertur excõmunicatio in perſonam animam habentem. c. ſi quis presbyterorum de reb. Eccle. non alien. Item baptizatam. 11. quæſt. 3. cap. omnis chriſtianus, Item non ignorantem, aut ſtultam. cap. vt animarum periculis, de conſt. in 6. ſed in perſona Ducis hæc omnia verificantur: ergo ſententia, de qua agitur, inpugnari minimè debet.

Conſiderata etiam potentia cauſatiua, vtiq; peccatum debet præcedere ſententiam; vti cauſa præcedit cauſatum; ſed delicta iam in ſuperioribus plenè monſtrata ſunt, & inferius alia patebunt, ergo &c.

5 Conſiderata rurſus potentia ordinatoria: † ſiquidem omnes monitiones de iure requiſitæ præceſſerunt; ergo &c. cap. ſacro approbante extra de ſent. excom. tantò magis quòd delictum eſt tale, de quo lex exprimit excommunicationem: vt cap. nouerit

de ſent.excom. ibi excommunicamus omnes hæreticos &c. & inferius ibi, nec non,& qui de cætero fecerint ſtatuta, edicta, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem.

Quantum ad ſecundam impugnationem: Vaniſſimum eſt dicere, proceſſiſſe excummunicationem
6 iſtam contra dogmata diuina: quoniam † ſub illo dogmate Chriſti,paſce oues meas Io.20.mandatum hoc eſt, vt probatur ex doctrina gloſſæ ibidem. Paſcere, eſt oues credentes, ne à fide aberrent confortare: præterea terrenam ſubſtantiam ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere: Inſuper exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere: Ad hæc aduerſarijs obſiſtere: & demum errantes corrigere, & ad vnitatem ouilis reducere. Hinc Dauid dicebat ad Saul de ſe ipſo, vt legitur primo Reg.cap.17.paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem,& veniebat Leo, vel Vrſus,& tollebat arietem de medio gregis; & perſequebar eos,& percutiebam eruebamq; de ore eorum;& illi conſurgebant aduerſum me,& apprehendebá mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamq; eos. Ita profectò ſunt hæretici, ſchiſmatici, & tyranni, prout eſt Dux iſte Venetorum.

Quò ad tertiam impugnationem, ſcilicet in præiudicium ducalis auctoritatis, nihil Duci prodeſt, quoniam crimen detectum omnem honorem excludit .l. 1. C. vbi ſenat.vel clariſſ.

Quantum ad quartum, quaſi cum perturbatione quietis ſubditorum, vtiq; Dux ſe furti alligat (vt dici ſolet) quia † nulla maior quietis perturbatio ſub-
7 ditorum, quàm libertati Eccleſiæ negotium faceſſete. arg.l.ſpadonē §.iam autem ff. de excuſ. tut. propterea quòd ſenator ille in oratione ſua ſuper con-

temptione illa recitata, talia protulit verba. [Maſſime che anco i noſtri popoli non ſentendo bene, che prenda l'armi contro la Chieſa potrebbe titubare; perche (inquit ipſe) gran forza ha contro i petti humani la Religione.]

Quò ad quintam, & vltimam impugnationem de maximo ſcandalo, & vniuerſali, vtiq; illa retorquetur in Ducem; nam Pontificis dicto non audiens, & re, & verbis cunctis fidelibus ſe reddidit de infidelitate ſuſpectum, quemadmodum inferius demonſtrabitur. & facit in arg. l. 1. §. initium verſi. nec enim ff. de poſtula. qui tex. loquitur de contumacia præſumpta; quo fit, vt qui obediens non eſt, in dolo, & contumacia eſſe dicatur. vt l. non poteſt dolo carere ff. de reg. iu.

ARTICVLVS SEXTVS.

DE AVSV TEMERARIO, ET MALEDICTIS DVCIS.

Caput primum de fatua deliberatione in contemptum Summi Pontificis.

SVMMARIVM.

1 *Melius eſt piè dubitare, & conſulere peritiores, quàm aliquid temerè definire.*
2 *Qui non facit quod debet, non recipit quod oportet.*
3 *Paria ſunt, ad tribunal non acceſsiſſe, vel accedere, ſed nihil iuſtum allegare.*
4 *Hiſtoria Regis Xerſis de concilio pro bello iudaico.*
5 *Conciliabulum iudæorum de morte Chriſti.*
6 *Contra obloquentes inſano modo, & linguę procacitate.*

NVNC tempus eſt indicandi, in quibus litteræ Ducis ſint indiſcretæ. Et quidem tria ſunt ſtolidæ procacitatis capita. Primú patet in temerario contemptu, ibi, nó dubitamo punto. Secundum in detractione Papæ. ibi, hanno trapaſſato il termine. Et tertium in obſtinatione, dum præcipit Dux, vt breui nó obſtante, continuent in diuinis officijs, & cura animarum, ibi [aſſicurandoci, che coſi, &c.]

Quò ad primum contemptus caput, lego verba litterarum talia. [Nó dubitiamo punto tenere il ſudetto breue, non ſolo per indebito, & ingiuſto; mà anco per nullo, & di niun valore.] Contra quod di-

1 cendi genus adducam ſententiam illam,† meliùs eſt pie dubitare, quàm aliquid temerè diffinire; vt Gul. Duranti meminit in ſuo Rationali diuinorum lib 7. tit. de aſſumptione B. Mariæ Virginis. facit c. 2. de obſerua. ieiu. & diſt. 5. c. ad aures, vbi bonæ mentis eſt timere culpam, vbi culpa non eſt. Debebat enim conſulere Pontificem Max. vel alios viros doctos, præter Papam. l. fin. C. de legi. ibi, quis tanto ſuperbiæ faſtigio tumidus eſt, vt regalē ſenſum contemnat? & ibi, vel quis legum ænigmata ſoluere, &c.

Nec vero conſonum eſt dicere, ſe non defuiſſe per oratoris perſonam, qui ſuis vtatur remedijs: quoniā duorum, alterum præſumendum eſt: vel per erubeſcentiam non adimpleuiſſe id, quod facere ille de-
2 buit; & ſic obſtat ei regula,† qui non facit. ff. de reg. iuris, qui ſi feciſſet quod debebat, vtiq; quod oportebat recepiſſet. l. & ſi non fuerit. de iure iur. & per
3 Rom. conſ. 233. & 257. Vel præſumendū eſt † nō allegaſſe iuſtas cauſas, & ſic obſtat ei tex. l. ſcire oportet. §. ſcire autem. ff. de excuſ. tut. ibi, ſimilis eſt ei, qui non acceſsit, aut acceſsit quidem, iuſtum autē quid remiſſionis non nominauit, quòd ſi feciſſet per locum, & tempus laudem meruiſſet. l. fin. in fin. princ.
4 ff. de exerc. act. Et ad hoc occurrit † hiſtoria Regis Xerſis, cuius meminit Valerius Max. lib. 9. cap. 5. qui Rex, conuocatis omnibus pro bello Iudaico contra Græcos, ea protulit verba. Non vos ò Aſiæ Principes, in vnum conuocaui, vt mei conſilij participes facerem: & ideò ſcitote (inquit) vobis magis eſſe parendum, quàm ſuadendum.

Si dicatur, fortè præceſſiſſe cōciliū in Senatu Venetorum, debet potiùs dici Conciliabulum, cum re-
5 ſiſtat obedientiæ S. R. E. inſtar † concilij Iudæo-

rum

rum de morte Chriſti; vbi Pontifex ille Cayphas per modum proponendi, ſententiam protulit, dicendo. Vos neſcitis quicquàm, expedit, &c. debebat enim proponere ſibi videri expediens; non autem proponere, expediens eſſe. Benè autẽ in Conſiſtorio Prægadi, fuit recitata ſentẽtia cuiuſdam clariſſimi Senatoris, ante latam excõmunicationis ſententiã, in qua oratione diſſuadebat bellum contra Eccleſiã, propter varia pericula belli: item ratione exigui lucri, & immodici damni: item quia bellum fieret, vt vtar verbis illius, [Nõ per manutenere il noſtro; ma per negare l'altrui.] Et demum tria, concludendo, pronuntiauit. Primum, quòd omninò ſatisfiat Pontificiæ ſanctitati, etiam reuocatis cõſtitutionibus. Rurſus vt haberetur recurſus ad Principem gratia tractandi iura Venetorum. Et demùm, vt petatur inſtanter cauſam examinari, & diſcuti in concilio generali. Qua fronte igitur Dux iſte auſus eſt Apoſto-
6 licas litteras diffinire nullas, & iniuſtas? certè † non poterit aliter excuſare ſe; niſi propter temulentiam, inſaniam, & linguæ petulantiam. vt dicitur in l. 1. C. ſi quis Imperatori maledi. & ad legem Iuli. Maie. l. famoſi; vndè ipſemet temerarius Dux arbitrabitur qua pœna dignus ſit, ſecundum tradita per Decian. tract. crimi. lib. 7. cap. 50. nu. 42

Caput ſecundum de contumelioſa detractione Summi Pontificis.

S. V. M. M. A. R. I. V. M.

1 *Princeps præſumitur velle, ſecundum iuſtitiam, & prout leges volunt.*
2 *Sanctus eſt Summus Pontifex, & cœleſti vtitur arbitrio.*
3 *Clauium traditio intelligitur tàm cœleſtis, quàm terreni imperij.*
4 *Non licet ſeruo facere iniuriam domino ſuo.*
5 *Summus Pontifex iudicat omnes; & à nemine iudicatur.*
6 *Omnis ſiniſtra ſuſpicio repellenda, non recipienda eſt.*
7 *Detrahere quid importet, ex parte detrahentis.*
8 *Quid ex parte eius, qui detractionem patitur.*
9 *Detractio quibus caſibus ſit punibilis.*

QVO ad ſecundum caput detractionis, talia verba leguntur. [Non habbiamo reputato conueniente, vſare contra quello remedij, delli quali cō maggiori, & altri Principi ſupremi ſi ſon valuti, cō li Pontefici, quali nell'adoprar la poteſtà datale da Dio in edificatione, hanno trapaſſato li termini.] Per hæc verba præſupponit Senatus, quòd Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Paulus V. proceſſerit extra terminos ſuæ poteſtatis; & ob id infert inferiùs eſſe contemnendum. l. extra territorium. ff. de iuriſd. om. iud. & per Archid. in c. vt animarum. de conſt. lib. 6. quod non poteſt (cum non ſit veriſimile) ſine magna iniuria eiuſdem Bea-
1 titudinis dici. Antecedens probatur, quoniã † Princeps præſumitur velle ſecundum iuſtitiam, & prout leges volunt. l. ſi quando. C. de inoff. teſt. Cinus in l. reſcripta. C. de præc. Imp. off. & per But. & Abb. in c.

quæ

quæ in Eccleſiarum. de conſt. quæ leges loquentes in Principe temporali, multò magis locum habent in ſummo Pontifice, † cũ ſit ſanctus, qui cæleſti vtitur arbitrio.ç. per venerabilem, qui fil. ſint leg. Bal. in l.1.ad fin.C.de ſum.trin. Card.in clem.1.de prob. lo.And.& Imol.in cap.felicis, de poenis in 6. Eiuſq; poteſtas à Deo data eſt, ad ædificandum, fundata in traditione clauium regni cælorum, † intelligitur, & exponitur pro clauibus cæleſtis, & terreni Imperij, vt in cap.omnes 22. diſt. & etiã pro gemino gladio, temporali, & ſpirituali cap. nouerit de iud. Conſequens probatur, quia † ſi nõ licet ſeruo facere iniuriam domino ſuo.l.fin.§.ſi verò quidem.C.de teſtamentaria manumiſſione: quantò magis nemini erit licitum de eo, quod factũ eſt, à Summo Pontifice, iudicare, † cùm ipſe iudicet, & à nemine iudicetur? cap. nemo, & cap. cuncta per mundum, e'l primo.9.q.3. cum alijs allegatis per Vantium.tit.an quælibet ſent. poſſit dici nulla.nu.47.

Ad propoſitum deſcendens dico non debuiſſe Ducem obtrectare Summo Pontifici ſic præcipitanter † cap.nullum 30.q.vlti.omnis enim ſiniſtra ſuſpicio repellenda, non recipienda eſt.cap.oues.5. q.2. Hæc autem detractio, per quam Dux iſte dicit, Summum Pontificem exceſſiſſe terminos poteſtatis datæ ad ædificandum, nullo quidem modo poteſt remanere impunita, ſiue conſideretur ex parte detrahentis, ſiue ex parte eius, qui detractionem patitur. † Ex parte (inquam) detrahentis ſcriptum eſt in cap. inter verba 11. q.3. Sic quid aliud detrahentes faciunt: niſi quòd in puluerem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant: præterea, quantùm in detrahente eſt, priuant animam, quæ melior pars eſt hominis

minis vitæ, vt cap. homicidiorum. de pœni. diſt. 1.

8 † Ex parte verò detractionem patientis, ideſt conſiderata perſona offenſi, vicem Petri Chriſti Vicarij obtinente, non poteſt ſinè peccato in Spiritum Sanctum ſuſtineri, iuxta nota. in d. cap. homicidiorum, quoniam Summus Pontifex ſpiritu Dei regitur, factumq; eius, factum Dei eſſe dicitur, vt per Io. And. in cap. rurſus. circa princip. ex. qui cle. vel nouen. mat. contra. poſ.

9 Nec refert dicere † detractionem iſtam non eſſe puniendam; ſed potius paruipendendam, eo quòd maledicta negligere, alti, Regijq; animi ſit; tyrannici verò ſeuerè punire; ſecundum exempla Dauidis, Herculis, Artaxerſis, Ciri, Pyrrhi, aliorumq; tradita per Decianum in tract. crimin. lib. 7. cap. 50. à num. 3. vſq; ad 12. Reſpondetur ſcripta Deciani procedere, quando maledicta non ſunt factis coniuncta; item quando maledictio non tendit contra Eccleſiaſtica dogmata: vt probatur in cap. 1. iuncta gloſ. de maledicis: hic autem Dux, & dictis, & factis, & factorum pertinacia conuictus eſt; meritò & condignè punitus eſt.

Caput tertium de manifeſta contumacia, ac obſtinatione Ducis.

SVMMARIVM.

1 *Qui excommunicationē Papalē contemnit, Chriſtum contemnit.*

2 *Quæ remedia excommunicato competant.*

3 *Quibus rationibus excommunicationis ſententia timenda eſt.*

4 *Obedientia ſummopere laudatur.*

5 *Dux non reuocādo ſtatuta, ſed perſeuerans in contumacia, vſq; ad ſententiā excōmunicationis, effectus eſt peior quàm infidelis.*

Excom-

xcommunicatus deterior eſt, quam gentilis.
lus Papa poteſt concedere licentiam celebrandi diuina officia in Eccleſia interdicta.
d quid dicendum, ſi interdictio facta ſit ſacerdoti ?
amnabilior eſt Dux, quam ſacerdotes poſt interdictionem celebrantes.

QVANTVM ad tertium caput obſtinationis. Vtiq; per cõtumaciam cõſtare dicimus: quoniam licet excommunicato nõ deſint remedia, quãdo forte iniuſtè reperitur excommunicatus, ipſe tamen Dux non ſolùm ea remedia paruipendit: ſed quod peiùs eſt, demonſtrauit deliberatum animum impænitentiæ ſuæ, [Dicendo, aſſicurandoci, che voi, ſi come ſino al preſente hauete atteſo alla cura dell'anime de i noſtri fideli, & del culto diuino; coſì all'auuenire continuarete nell'iſteſſo officio paſtorale.] Quia non ſolùm permiſit ſe excommunicari; verùm etiam † excommunicationem contempſit, & ita Chriſtum cõtempſit.c. nemo contemnat 11.q.3.† Aut enim potuit prætendere nullitatem excõmunicationis, & tali caſu debebat adire excommunicatorem, & petere, vt declararet eamdẽ nullam.cap. ex ſacro. extra de ſent. excom.notat Innocen. in cap. dilectus extra de appell. & Bal. in l. aduerſus. C. ſi aduerſus rem iudic. Et caſu, quòd de nullitate dubitaretur, poſſet excommunicator illum abſoluere ad cautelam, receptа competenti cautione.

Aut verò potuit prætendere iniuſtitiam excommunicationis, eo caſu remedium eſſet ſententiam reuocare, cognitis cauſis prætenſi grauaminis, vel

per viam appellationis ad ſuperiorem.not.in d.cap. ſacro. Si dicatur, quòd à Papa non appellatur, quoniam non habet ſuperiorem d.cap.cuncta per mundum 9.q.3.remedium poterat eſſe,in recurrendo ad eundem Papam ante ſententiam , vt euitet futurum grauamen. vt in cap. per tuas de ſent. excom.l. ante ſentẽtiam. ff. de appell. ex trad. per Duenn. reg.52. Vel implorata miſericordia , poterat abſolutionem petere ſub fideiuſſione de parendo. c.1. extra quod met.cau. & de ſent.excom.cap.nuper. quod ſi obtinere non poterat, imputetur ei, cur non obediuit?

His tamen remedijs neglectis , ex eo quòd ſciebat , nullum fouere ius , vti voluit remedio iſtarum litterarum , quod potiùs febrem auget, quam interpellet: proindè ob eius impœnitentiam poteſt aduerſus eum , & ſequaces dici illud Pauli ad Tim. 2. cap. 3. mali autem (inquit) homines , & ſeductores proficient in peius errantes,& in errorem mittentes.

3 Nec debuit ignorare † rationes , quibus excommunicationis ſententia, licet iniuſta, timẽda ſit.cap. ſi Epiſcopus 11.q.3. nempe quia ligat, eo quia multa fieri non debent , quæ facta tamen rata manent. arg. diſt.27.cap.quidem,& cap.ſi vir, & diſt.45.cap. de Iudæis.& diſt.74.cap.vbi.& 1.q.1.cap.quod quidam.in propoſito autem, quia tenuit à principio,vt in ſuperioribus conſiderationibus dictum fuit, vtiq; maximè timenda eſt, ea præſertim ratione, quia excommunicatio eſt ictus gladij ſpiritualis , qui magis timendus eſt, quam materialis,de quibus gladijs dicitur , Lucæ 10. Ecce duo gladij hic. Ruſus , quia qui excommunicatur traditur Sathanæ. cap. omnis chriſtianus eadem quæſt.3.

Nec conſonant verba , quæ in eiſdem litteris dicuntur,

cuntur, mandaſſe, & ſuaſiſſe continuationem diuiſiorum, prætextu fidelitatis. ibi, [Eſſendo deliberatiõn noſtra firmiſſima di voler cõtinuare nella ſanta fede catholica, & apoſtolica, & nell'oſſeruatione di S. Chieſa Romana, ſi come li maggiori noſtri, &c.] Quoniam non ſufficit fidelitatis proteſtatio contraria factis. † Deus enim obedientiã potiùs vult, quam ſacrificia. cap. quid ergò 11.q.3.cap.2. de maior. & obed. & l. ſanctio legum.ff. de pœn. Vnde Chriſtus fuit obediens vſq; ad mortem in recompenſationẽ præuaricationis Adæ. & demum de obedientia præſtanda Summo Pontifici, optimè tradit Turrecr. in ſua ſum. Eccl. lib.2.cap.48.49. & 50. tutius autem,
5 imò fidelius erat, † ſi ſtatuta reuocaſſet in virtute ſanctæ obedientiæ Romanæ Eccleſiæ, quàm ſpreta obedientia, incidere in hæreſim. cap. ſi quis prebyter 81. diſt. Quo non facto, & perſeuerando in cõtumacia, ſic expreſſa, de fideli effectus eſt infidelis Matt. 18. ſi Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi tanquam ethnicus,
6 & publicanus. Imò † excommunicatus deterior eſt, quam gentilis, iuxta gloſ. ſup. eod. Euang. Matt. dicentem, deteſtabilior eſt, qui ſub nomine fidelis agit opera infideliũ, quàm apertè infidelis. eſt enim idololatra. c. ſi qui ſunt 81. diſt. & c. omnes diſt. 22.

Præterea qua licentia, vel auctoritate permittit in eis litteris continuationem diuinorum contra in-
7 terdictum Apoſtolicum? Cum † ſolus Papa poſſit concedere licentiam celebrãdi diuina officia in Eccleſia interdicta, ſecundũ gloſ. in cap. ad hæc extra
8 de appell. † ſi verò ſacerdotibus reperitur facta interdictio, etiam Papa non poſſet dare licentiam excommunicato, vel interdicto celebrandi diuina officia, ſecundum Innocen. in cap. præterea eod. tit.

9 propter quod † damnabilior eſt ipſe Dux, quàm ſacerdotes, ibi diuina facientes poſt interdictum,cap. aliorum 24. quæſt. 4. vbi, qui aliorum errorem defendit, damnabilior eſt illis, qui errant,quia non ſolùm errat ; ſed etiam alijs offendicula erroris præparat,nam tribus modis quis dicitur conſentire,adhoc vt vti conſentiens cū agente pari poena puniendus, nempè cooperando, non corrigendo, & defendendo peccantem.vt docet gloſ.2.q.1.c.notum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Caput vnicum de pœnis malè impoſitis in ſtatutis à Duce.

SVMMARIVM.

1 Statuta condere eſt meri imperij in maximo gradu.
2 Cuinam competat huiuſmodi poteſtas, diſtinguitur.
3 Gladij poteſtas eſt meri imperij in maiori gradu.
4 Contra quos competat talis poteſtas.
5 Pœna fructus eſt iuriſdictionis.
6 Quomodo omnis pœna ſit in arbitrio iudicis.
7 Statuta Ducis in praiudicium Religioſorum non valent, nec in conſequentiam pœnales clauſulæ.
8 Statutum laicorum non poteſt pœnam imponere laicis, qui cum Eccleſiaſticis contrahunt, & quæ ſit ratio.
9 Contra libertatem Eccleſiaſticā non poteſt aliquid ſtatui, etiam indirectè, aut ſermone velato.
10 Et tàm in acquiſitis, quàm in acquirendis.
11 Exilij pœna prohibita eſt poteſtati ſeculari in praiudicium religioſorum.
12 Clericus, vt poſſit exilio condemnari, quod ſit neceſſarium.
13 Excommunicantur laici, qui in cuſtodia tenent clericos.
14 Qui incidit in pœnam, non poteſt alios ſubiugare pœnis.
15 Quas pœnas incurrunt, qui honori, & auctoritati Apoſtolicæ ſedis derogare præſumunt.

CVM, & facto, & iure conſtet de inexcuſabili malo animo Ducis, qui ſtatuta præmiſſa decernere voluit, vt præiudicium, & iniuriā afferret Eccleſiæ, Eccleſiaſticiſq; perſonis, per allegata in ſuperioribus, hinc apertius patebit, poſtquàm, & in ſecundo, & in tertio ſtatuto pœnas impoſuerit manifeſtas.

1 Et licet Dux Venetorum, † iure meri imperij poteſtatem habeat ſtatuta faciendi, ad publicā ſui ſtatus vtilitatem, quæ poteſtas ſe habet inſtar meri im-
2 perij in maximo gradu, † quod ius ſoli Principi, & Senatui competit, & etiam præfecto prætorio. vt l. 1. ff. de conſt. princ. & l. non ambigitur ff. de legi. & l. normam C. de offic. præfe. præt. Orient. & illir. non tamen poteſt generalem legem toti orbi condere, prout ſolus Princeps poteſt. vt l. fin. C. de legi, vbi
3 Bart. & Saly. † propterquod ſequitur, Ducem nō habere gladij poteſtatem, ideſt vitam puniendi, quæ poteſtas vim habet meri imperij in maiori gradu, ſecundum Bart. in l. imperium nu. 8. ff. de iuriſd. omn.
4 iud. & plenè in l. 2. ff. de pub. iud. † niſi tātùm in ſubditos ſuos, citra præiudicium aliorum non ſubditorum, ita loquitur tex. l. illicitas. §. qui vniuerſas ff. de
5 off. præſid. † Hinc dicimus pœnam eſſe fructum iuriſdictionis, ſecundum Afflict. in cap. 1. §. pœnarum nu. 38. quæ ſint reg. in vſib. feud. & plures congerit
6 Boſſ. tit. de pœnis nu. 32. † omnemq; pœnam eſſe in arbitrio Principis ex eod. Afflic. in d. cap. 1. in princ. nu. 65. propter quòd poteſt eas minuere, dummodo nō ſint pœnæ applicandæ partibus, ſecundū Iacob. de S. Georg. in l. fin. nu. 2. ff. ſi ex noxa. cau. aga. & è contra ſunt arbitrariæ, vt poſſit Princeps eas extendere vſq; ad mortem, vt poſt Angel. de malefic. in verbo, & caput, tradit Farin. tit. de delict. & pœn. quæſt. 17. nu. 60.

7 His præmiſſis, infero cōcluſionē quòd † ſicut ſtatuta per Ducem facta in præiudicium Religioſorū, ſibi nō ſubditorū irrita ſunt, vt in Auth. caſſa, & irrita ſuperius ſępiſſimè allegata, parimodo pœnales clauſulæ in eiſdem ſtatutis contentæ nullius erunt robo-

ris,

ris, aut momenti, ad quod eſt doctrina Felini in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ 13 quæſt. de conſtit. vbi cōcludit, quòd ſi nō valet ſtatutum prohibitorium, minus etiam valebit pœnale. Eſtq; ratio, quia ſi principalis diſpoſitio nō tenet, minus etiam tenet adiectio pœne l. 3. in princ. ff. de arb. & l. non dubium C. de
8 legi. quæ concluſio procedit, † etiam ſi pœna ſit impoſita laicis, qui cum Eccleſiaſticis contrahunt: tex. eſt punctualis in cap. quāto de priuil. vbi pœna, quæ perſonis Eccleſiaſticis, per laicos imponi nō poteſt, minus etiam poterit imponi laicis ſubditis ſtatuenti, ſi cum Eccleſiaſticis cōtrahant: & poterit ratio conſiderari, nempè, quia per indirectū videtur talis pœna afficere perſonas Eccleſiaſticas, & ſic per indirectum eluderetur diſpoſitio præcitati cap. eos de im-
9 mun. Eccl. lib. 6. & cap. quicunq; 16. quæſt. 1. † ſatis enim dicuntur contra libertatem Eccleſiaſticā, tàm ſi directè hæc fierent, quàm ſi per indirectum. cap. ſtatutum de hæret. lib. 6. & præcitato cap. quanto de priuileg. & Anchar. conſ. 184. col. 2. & tàm ſi verbis expreſſis cōſtituantur, & imponātur, quàm ſi ſermone velato, vel quouis alio colore ſtatuentes vtantur. cap. clericis. §. fin. & §. nos igitur de immu. Eccl. lib. 6.

Nec ſufficit dicere, quòd tàm ſtatuta, quàm pœnæ in eis adiectæ poſſint impunè afficere perſonas Eccleſiaſticas in iuribus acquirēdis, prætextu quòd facilius amitti poteſt acquirēdum, quàm ius acqui-
10 ſitum. † Reſpondetur enim quòd imò vtrobiq; procedere debet illæſa, & illibata libertas Eccleſiaſtica. per tex. apertum in cap. ea enim 10. q. 2. & optimè Hier. Alb. in diſp. ſua de imm. Eccl. nu. 12.

11 Vlterius in ſecūdo, † exilij pœna impoſita legitur, quam pœnā imponētes ipſo iure ſunt excōmunicati

vt

vt Cle. 1. de pact. quæ Cle. locum habet, tàm in Epiſcopo, quàm in omnibus clericis iux. ſummariũ intel-
12 lectũ Abb. in c. olim de iniur. † præter quàm ſi incorrigibilis ſit, ac depoſitus clericus inde ad requiſitionem Eccleſiæ tradatur temporalibus, ad exulãdum condemnandus cap. cùm non ab homine de iud. in
13 fin. & cap. 2. de cler. excom. miniſt. † & Demum excommunicationem incurrunt temporales magiſtratus, qui in cuſtodia publica, vel priuata clericos detinent c. nuper de ſent. excom. ſicut iſte Dux non erubuit in vincula tradere clericos, & in dignitate cõſtitutos, prout in quinto articulo demonſtratum eſt.

14 Præterea † qui incidit in pænam non poteſt alios ſubiugare pænis, ſed iſte Dux ob ſuam in obedientiam erga Papam incurſus eſt in varias pænas, vt per Turrecrem. in ſua ſum. Eccl. lib. 3. c. 37. n. 3. ergo &c. Maior probatur in cap. ponderet 50. diſt. ex illo carmine Catonis, culpa eſt doctori cũ culpa redarguit ipſum. ad ſtipulatur Paul. ad Rom. cap. 2. in quo (inquit ipſe) iudicas alterum, te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. Aſſumptum probatur,
15 ſiquidèm † qui honori & auctoritati Apoſtolicæ ſedis derogare præſumunt, incurrunt primo maledictionis pœnam, vt de vter. 17. maledictus, qui inhonorat patrem ſuum, & ſinè dubio, qui patribus non obſequitur, Deo non obſequitur, ſecundùm Auguſt. ergò & qui non obedit vicario Dei eandem maledictionem meretur: Rurſus incurrunt crimen læſæ Diuinæ maieſtatis, fortius quàm humanæ, cùm humana Imperialis Maieſtas, velut inferior miniſterio ſit Diuinæ, ac miniſtrorũ eiuſ. c. ſi in adiutorium diſt. 4. c. quis dubitet, & c. duo ſunt. 96. diſt. incidunt etiàm in labem hæreſis c. omnes diſt. 22. ipſoq; iure ſunt

excom-

excommunicati cap.eos de immu.Ecc.lib.6.& cap. nouerit ext.de ſent.excom.& de imm. Eccl.cap. aduerſus, & demùm incidũt in ſcelus ſciſmatis cap.qui cathedram diſt.93.

16 Nec præmiſſas pœnas euadere Dux poterit,excuſando ſe quod † ad ipſum pertineat ex præeminẽtia officij, & dignitatis licentiam præſtare ad refectionem templorum, moderandaſq; impenſas, ex l. ſacra.§. muros ff. de redi: quoniam tex. ille loquitur, quando refectio fieret impenſis Reipublicæ, ſicut Vulpianus declarat in l.ſi in aliqua ff.de offi. procõſu. in illis verbis, prout vires eius Reip. permittunt. Et eſt ratio quia quoad attinet ad huiuſmodi impenſas Reip. habẽt proconſules,& ſimiles magiſtratus tantam in ſubditos ſuos iuriſdictionem, quãtam Patriarchæ, Epiſcopi, & Archiepiſcopi in omnes ſuæ prouinciæ, vt nõtabiliter dixit Bal.in d.l.ſi in aliqua.§.cum pleniſſimam per illum tex.

17 Nec etiam ſe excuſabit † cõſtitutione Phocæ Imperatoris Orientis,qui donationes Monaſterijs,atq; templis relictas à quibuſdã pijs Imperatoribus prorſus aboleuit, decreuitq;, ne Eccleſiæ immobilia retinerent,cauſatus Epiſcopos ea bona malè prodigere, quæ pauperibus darentur, & milites interim deficerent:lege etiam lata,ne iniuſſu Imperatorũ vllus crearetur Epiſcopus, & de nouo nõ eſſe conſtruenda Monaſteria,Xenodochia,Noſocomias. Reſpondetur enim huiuſmodi conſtitutiones ſublatas, & abrogatas poſtea fuiſſe ab Imper. Baſilio Iunio, vt refert Pet. de Greg.lib.13.de rep.cap.17.nu.5.

Hoc vnum inducem iſtum Venetorum Chriſtianæ Religionis contemptorem dicam, à cæteris eum Ducibus degeneraſſe, totamq; vrbem tyrannide ſua

18 labefactaſſe.† Ipſum in primis redarguit nummorũ ſignum, vbi Chriſti imagine ſignata, circunquaq; litteras legunt: tibi ſoli honor, & gloria. Ipſe quoq; fallacem videtur efficere Diuum Thomam, dum in ſuis aſſerit Opuſculis, omnes Principes tyrannos eſſe præter Ducem Venetorum: quãdoquidẽ nullus alius tyrannus ſimilis iſti compertus eſt, Bald.quoq; mendacem efficit, qui conſ.ſuo 473. incip. quidam emerunt vol.1. Venetias paradiſum delitiarũ vocat; nam quantũ ad ſe, videtur improbitate ſua delitias in tenebras commutaſſe, & iram Dei concitaſſe ad perditionem poteſtatis, & populi; niſi delicta ſua, debita expiatione, Eccleſiaſticiſq; remedijs emendare ſtudeat.

19 † Quòd autem Diuini cultus, Deiq; mandatorum cõtemptus cauſa ſit mutationis, & interitus Reip. ac Principatuum, poſt varia, & multa, Petrus de Gregorio lib.22. de Repub.cap.14.huiuſmodi allegat verſus,

Semper eris fœlix venerans gens numina Diuum,
Donec plus ſuperis fuerit venerata virumquam,
Intima ſeditio, tunc & tibi prælia ſurgent.

INSTRVCTIO AD CONVERSIONEM DVCIS.

SVMMARIVM.

1 *Leges, & Canones ab omnibus ſciri, & obſeruari debent.*
2 *Ignorātia quam ſit periculoſa.*
3 *Libertas Eccleſiaſtica ex Dei ſpiritu ducta eſt.*
4 *Intentio verborum Apoſtoli: omnis poteſtas ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit.*
5 *Imperatori omnia licita ſunt, præterquam Diuina.*
6 *Immunitas eorum, qui ad Eccleſias confugiunt.*
7 *Immunitas Religioſorum in vacationibus munerum.*
8 *Ratio incapacitatis laicorum non deficit quauis iuſta, & communi cauſa.*
9 *L. ad inſtructiones. C. de ſacroſa. Eccle. correcta eſt.*
10 *Neceſſitatis tempore, an poſſint famuli clericorum cogi?*
11 *Immunitas Eccleſiæ in acquiſitionibus liberis.*
12 *Immunitas in exigendis decimis ſine impedimento.*
13 *Immunitas in prærogatiuis Religioſorum ſupra laicos.*
14 *De intellectu l. ſunt perſonæ ff. de Religioſis, remiſſiuè.*
15 *Immunitas in publicandis Apoſtolicis litteris.*
16 *Regula prima eorum, quæ ſunt contra libertatem Eccleſiæ.*
17 *Regula ſecunda conſimilis primæ.*
18 *Regula tertia, quando clerici fiunt timidiores.*
19 *Regula quarta, quando clerici efficiuntur minus potentes laicis.*
20 *Regula quinta libertatis clericorum, quando à non competenti iudice compelluntur.*
21 *L. addictos. C. de Epiſ. aud. correcta eſt.*
22 *Regula ſexta, quando ad curiam Papæ aditus impeditur.*
23 *Comminatio in Ducem Diuinæ vltionis, nedum humanæ.*
24 *Animæ Ducis ſingula marceſcunt potentia.*
25 *Singuli quoq; eius corporis ſenſus.*
26 *Iniquæ legi tanquam armato hoſti, etiam legislatori ſubditi reſiſtunt.*

27 *Decreta Ducis velut corpus ſine ſpiritu reputantur, incapacitatis ratione.*
28 *De conuerſis ad obedientiã, & cultũ erga Deum aliqua exempla.*
29 *Veritas erranti in fide propalanda, non tacenda eſt.*
30 *Veritas præponenda eſt gratiæ, ac potentatui.*

1 LEGES † ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectẽtur, Imp. Val. & Mar. ſcriptũ reliquerunt in l.leges ſacratiſſimæ C. de legi.& C. de iur.& fact. ignõ.l. conſtitutiones, & ext. de conſt. cap.1. & fin. Princeps autẽ ſummopere ignorare nõ debet quanta vis Eccleſiaſticæ immunitatis exiſtat, ſuper omnẽ terrenam aliorum libertatem:& in quibus conſiſtat, & quibus ſit munita regulis non eſt ignorandum.
2 Ignorantia † enim mala res eſt, & periculoſiſſima, veluti cunctorum errorum cauſa cap. ignorãtia 38.
3 diſt.ſciat igitur Dux † quæ ſpiritu Dei aguntur, ea in poteſtate legis non eſſe cap. duæ ſunt 19.q.2.& ext. de regul. cap. licet. Cum enim ſpiritui ſancto nemo poſsit dignè reſiſtere, vbi ſpiritus Dei eſt, ibi veram eſſe libertatem oportet eod. cap. duæ ſunt, Hac inquam ratione libertas Eccleſiæ fundata eſt, communiter dicta immunitas,& imperſcriptibilis, ex Io. Lupo in tract. de liber. Eccl.q.6.nu.3. cum ſeq. non ſic Principum temporalium libertas, ſecundum tradita ſupra in prælud. nu.14. hæc igitur vetuſtiſſima res eſt, nõ modo humano, ſed etiam diuino iure introducta cap. non minus. de imm. Eccl. & patet in Pſal.104.nolite tangere Chriſtos meos, & optimè in

Cappella Tholo. deciſ.422. vndè meritò laici Eccleſiaſtica negotia diſponere prohibentur, in cap.
4 decernimus ext. de iud. nõ obſtante † Apoſtoli ſententia illa, omnis poteſtas ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, vt cap. omnis anima de cẽſibus: quoniam ſuadet ibi Apoſtolus, vt pro merito humilitatis exhibeant clerici reuerentiam Principibus, quorum protectione teguntur; non autem intendit iuriſdictionem laicis in clericos firmare. iux. Præpo. in cap. magnum 11.q.1. nu.5. & Turrecrem. in princ.
5 Item † Imperatori omnia licita ſunt, præterquàm in diuinis, cap. conuenior. circa med. verſ. allegatur Imperatori 23.q.8. Item Apoſtolus nõ includit Papam cui omnes terreni Principes debent obedientiam. c. obedientiam. 93. diſt. vbi Præp. nu. 3.

Conſiſtit autem huiuſmodi immunitas in ſex, totidemq; regulis comprobatur. cõſiſtit primò † in re-
6 fugio eorum, qui ad ædes ſacras, velut aſylum confugiunt. l. 2. & per tot. cap. de his qui ad Ecc. confug. & ext. de immu. Eccl. cap. inter alia, exceptis aliquibus vt ſunt publici latrones, & nocturni populatores agrorum, quos ſecundum gloſ. ibi cuilibet impunè licitum eſt occidere cap. cum homo. 23.q.1. & l. 1. C. quand. liceat vnicuiq;. Quod & in cimiterio verum quoq; eſt vt l. 3. C. eod. tit. de his qui ad Eccl. confug. & 17.q.4. cap. ſi quis continens.

7 Conſiſtit † Rurſus in vacationibus munerũ, ideſt in non aggrauandis religioſis perſonis, nec religioſorum bonis. 12. q. 2. cap. Eccleſiarum ſeruos, & de immu. Eccl. cap. 1, lib. 6. ſub pœna excõmunicationis; niſi ſecundum gloſ. in d. cap. 1. daretur Eccleſiæ aliquod prædium tributarium, res enim tranſiret cũ onere ſuo. 16. q. 1. c. ſi quis laicus, etiam ſi eſſet cauſa

8 publica communis clero, & populo, † quoniam ratio incapacitatis laicorum nõ poteſt qualibet iuſta, & communi cauſa ceſſare, vt apertè in cap. non minus, & cap. aduerſus. de Immu. Eccl. lib. 6. cõtinetur, dum ibi vrgẽte communi vtilitate, ac neceſſitate facultatum laicorum non ſuppetentium, relinquitur vrbanitati clericorum conferre ſubſidia, eiſq; laici humiliter, & deuotè recipientes gratias agere habeant Domino Noſtro Ieſu Chriſto: pꝛoinde † tex. 9 leg. ad inſtructiones. C. de ſac. ſanc. Eccl. abrogatum eſſe tenent gloſ. in c. generaliter, in verbo collactionibus 16. q. 1. & Alcia. in l. placet. C. de ſac. ſanc. Ecc. & Abb. in d. cap. non minus. nu. 18. & Bero. conſ. 31. nu. 21. vol. 1. Dumtaxat miniſtri, & famuli clericorũ 10 † neceſſitatis tẽpore compelli poſſunt ad excubias faciendas, vt in cap. 2. eod. tit. de immu. Eccl. lib. 6. [fraternitas tua nullum per noſtræ vel Eccleſiæ nomen, aut alio modo excuſari à murorum] vigilijs. Verùm ab Eccleſiaſtico iudice compelli poſſunt, etiam ad ſolutionem vectigalium, ex Deciano conſ. 14. vol. 1. vel etiam à poteſtate temporali ad onera extraordinaria compelli, conſulto Pontifice, ex Alba. Mandi. conſ. 8. nu. 12.

11 Conſiſtit tertiò † in acquiſitionibus, cũ quacunq; perſona, & quolibet tit. liberis, & ſub eadem pœna excommunicationis, vt cap. eos. de immu. Ecc. lib. 6. & l. 1. & fin. C. de ſac. ſanc. Eccl. & contrarium ſtatui ſine incurſu mortalis criminis minimè poteſt, ex trad. ſup. art. 3. cap. 1. nu. 7. & 9.

12 Conſiſtit quartò † in exigendis decimis ſine aliquo impedimento vt 7. q. 7. cap. decimas il 2. & 3. vbi nõ poſſunt impediri decimæ pretextu quòd populus velit eas redimere; præterquàm ſi allegetur

decima-

decimarum exemptio Apoſtolico priuilegio, vt cap. nobis. de decim. etiam in totum, vt poſt Couarr. & Pet. de Arag. diſſerit Sahagum vt in cap. decernimus nu. 158. de iudi.

13 Conſiſtit quinto † in prærogatiuis Religioſorum ſupra laicos l. ſi is qui. ff. de iure fiſci, iuncta l. ſunt perſonæ ff. de Religio. cum alijs adductis ſup. art. 1. c. 1.
14 † de cuius legis ſunt perſonæ. intellectu, optimè tradit Pariſ. conſ. 76. & 77. nu. 42. in primo vol.

15 Conſiſtit ſexto, † in publicandis Apoſtolicis litteris ſine aliquorum obſtaculo. cap. quoniam. de imm. Eccl. lib. 6. vbi ſi iudices laici contrauenirent incurrerent excommunicationem; dummodò agatur in litteris, de re ſpectante ad forum Eccleſiaſticum.

Hinc aliquot regulas deducã. Quarum prima talis
16 eſt: † ea quæ ſunt cõtra priuilegia Eccleſiæ inducta per Summos Pontifices, & Imperatores ſunt contra libertatem Eccleſiæ l. priuilegia, cum auth. caſſa. & irrita C. de ſac. ſanc. Eccl. vbi Cinus, & Deci. col. penult. Bal. in auth. ſtatuimus C. de Epiſc. & cler. in fin. Bart. in l. filius familias §. Diui nu. 12. de leg. 1. & in l. 1. nu. 28. C. de ſum. trin. Soccin. conſ. 241. lib. 2. poſt Innoc. in cap. nouerit per illum tex. de ſent. excom. & diſt. 22. c. omnis, & de ſent. ex com. c. grauem.

17 Regula ſecunda † conſimilis primæ erit, vt quando aliquid aduerſus conceſſa clericis tàm iure ciuili, quàm iure canonico ſtatuitur, vtiq; contra libertatem Eccleſiaſticam ſtatui dicitur, ex Dec. in d. cap. Eccl. Sanctæ Mariæ col. 1. & 2. de conſt. & per Boſſ. t. t. de princip. & priuil. eius nu. 220.

18 Regula tertia † huiuſmodi eſt, ſi quid fiat propter quod Eccleſiaſticæ perſonæ fiant timidiores, contra libertatem Eccleſiaſticã fieri dicitur. l. 1. §, quæ oneTrandæ

randæ ff. rer. amot. vbi Bart. nu. 3. vel ſi cum aliqua difficultate eſſet faciendum, ſecundum Mand. dicto conſ. 8. nu. 16.

19 Regula quarta † ita concipitur; quoties clerici efficiuntur minus potentes laicis, id contra libertatem Eccleſiaſticam fieri dicitur, ſiquidem clerici dignitate maiores dicuntur quocunq; laico, vt ſupra art. 1. cap. 1. nu. 13. & art. 4. cap. vnico num. 7. & non ſolum dignitatis ratione, ſed etiam vtilitatis, quæ ab ipſorum orationibus mundo confertur: iuxta ſententiam illam Hier. in prolog. ſuper vitas patruũ: Quis (inquit) dubitat mundum ſtare meritis ſanctorum virorum? licet mundani non erubeſcant dicere, ad quid ſeruiunt mundo tot Clerici, tot Monachi, tot Fratres Mendicantes, melius putant fuiſſe ſi in ſæculo remanſiſſent; ſed hi iuxta domini verbum, Io. 3. prout de terra ſunt, de terra loquuntur.

20 Regula quinta † ita concipitur; quum ſacerdos cogitur coram laico litigare, contra libertatem Eccleſiæ cogeretur: quoniã ſimplex clericus ſub Epiſcopo conuenitur: Epiſcopus ſub Archiepiſcopo: Archiepiſcopus ſub Patriarcha: Patriarcha ſub Papa. Auth. ſtatuimus. vbi gloſ. C. de Epiſ. & cler. Quod quidem ius ſecundum Canoniſtas nouum non eſt, nam Deus à principio iſtas iuriſdictiones diſtinxit, imò plus ibi dicitur quòd laicus denegans iuſtitiam clericis priuatur in pœnã iuriſdictione ſua: facit notata in l. Iudæos C. de iud. etiã ſi clerici deliquiſſent eripiendo de manibus familiæ aliquos ſupplicio ad-
21 dictos: abrogata † nempè l. addictos C. de Epiſc. audi. vt poſt gloſ. ibi in verbo vendicentur, affirmant Alber. Ang. Saly. & Fulg. quos nouiſſimè ſequitur Sahagũ in præcit. c. decernimus nu. 39. cũ duob. ſeq.

Regula

22 Regula ſexta † proxima fortior eſt, qua cauetur, ſtatuta, ne litigetur in Curia Papæ eſſe contra libertatem Eccleſiæ, vt pulchrè, lateq; tradit lapus alleg. 92. & præſertim quando controuerſia eſt inter Regem, & ſubditos, ob iniuſtitias; vt ſupra dictum eſt in præludijs nu. 19. & in alijs caſibus ad ſolum Papã pertinentibus, de quibus in cap. quoniam 10. diſt. & cap. peruenit 101. & cap. ſi quis 69. diſt. & ext. de re iud. cap. ad Apoſtolicæ, & cap. paſtoralis.

His præcognitis, & errorum conſcio effecto Duce, opus valdè pium erit tàm perditum hominẽ ex-
23 citare: vt in ſe ipſum quàm primũ reuertatur, † etenim in eum l. primæ C. de ſum. trin. continenter exclamant verba illa [Diuina primum vindicta, poſt etiam motus animi noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus vltione plectendos:] quibus verbis nõ eſt abſonum canon generalis concilij Lugdunenſis, ſub Gregogio X. in cap. vlt. §. fin. de immu. Eccl. lib. 6. ibi [Diuinæ vltionis, & noſtræ poterunt acrimoniam formidare.]

Cæterum vt vindictæ varia genera non ignoret,
24 aduertat Dux, an † aliqua animæ ſuæ potentia marceſcat, tùm intellectus, tùm memoriæ, vt C. ad l. Iul. maieſta. l. fin. ibi [ſua mente punitus eſt] & Paulò inferius [Memoria eius damnetur] tùm etiam vo-
25 luntatis, vt l. manicheos. C. de hæret. Inſuper † ſingulos corporis ſenſus conſideret, nunquid oculorũ ſuperbia cecatus ſuos videat errores: nunquid Apoſtolico Principi minus obediens mandata audiat: nunquid ob inſatiabilem auaritiam, opes clericorũ inoneſta, grauiq; manu poſſideat: nunquid palatũ, aut os teneat nullam ædificationis ſubditorum curam habens: & demum nunquid bonam opinionis,

ſamam redoleat inter orthodoxos paſſus iacturam, ac perditionem? arg. eorũ, quæ ab Hoſt. in ſua ſum. in applicatione quinq; librorum Decretalium, ad quinq; illius prooemij partes, & ab Archid. in cap. non ne. 37. diſt. propoſita ſunt.

Cur inquam ſic inter oſcitantes otioſus eſſe videris? omnium igitur legum tuam iniquiſſimam, cunctiſq; maiorum legibus diſſimillimã, quam primum
26 abrogato: huic † enim tui etiam homines, vt Ciceronis cõtra Rullum de lege agraria verbis vtar, tan-
27 quàm armato hoſti reſiſtent. Sunt † quidem decreta ipſius Ducis velut corpus ſine ſpiritu, ob poteſtatis defectum, & propter omnimodã incapacitatem: vt ext. de iud. cap. decernimus, & cap. at ſi clericis, & de conſt. cap. quæ in Eccleſiarum, & cap. Eccleſia
28 Sanctæ Mariæ. Perlegat † Dux optimum Chryſoſtomi conſilium ſuper Matth. home. 69. vbi de paralitico ſic affatus eſt, quamuis iſte paraliticus 38. annis fuerit in peccato, ſi tamen ſanari voluerit, nihil prohibebit, quia adeſt Chriſtus dicens illi ſurge, &c. qui ſi dicat hominem non habeo, nunquid non habet Deum iuuãtem ſe? nullus ergo ſubdit Chryſoſt. vetat peccatorem, ſi voluerit ad fontem gratiarum, & pænitentiæ deſcẽdere. Nam Raab meretrix erat, & ſaruata eſt, & latro truculentiſſimus fuit homicida, ſed paradiſi ciuis effectus eſt: ecce Matthæus publicanus euangeliũ cecinit: ecce Paulus blaſſemus, & percuſſor Eccleſiæ Apoſtolus euaſit: ecce sũt Dei mirabilia: tu ergo ò peccator, horum exemplo noli deſperare, ſed miſericordia Domini fretus excita te ipſum; ſolumodo facere incipias, & citò peruenies ad Dei gratiam. hæc ille. præter hos legitur Cõſtantinus Magnus idololatriæ, impellente fauſtã vxore

ſua,